Bl. 1410

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT



Bl. 1410

IOACHIMI BELLAII ANDINI POEMATVM LIBRI QVATVOR:

QVIBVS CONTINENTVR,

ELEGIAE. VARIA EPIGR.
AMORES. TVMVLI.

PARISIIS,

Apud Federicum Morellum, in uico Bellouaco, ad vrbanam Morum.

M. D. LVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAVTVM est auctoritate Henrici. II. Francorum Regis, ne quis alius præter Federicum Morellum, hosce Ioachimi Bellaij Poëmatum libros ante sexennium ab hac prima editione, excudat, néue uendat. Qui secus fecerit libris & pœna in sanctione æstimata mulctabitur. Datũ apud Aquæ bellæ fontem, die Martij tertio. An. M. D. LVII. Ex mandato Regio, I. Auansonio, Regi ab intimis Consiliis, præsente, subsignatum,

DVTHIER.

EX QVADAM EPISTOLA FRANciſci Oliuarij GALL. Nomophylacis ad I. Morellum Ebrodunenſ.

Hoſpitalij Epiſtolam legi. De qua nil aliud dicam, quàm, quòd, uel ſine titulo, auctorem ſuum referat: & bis mille aliis intermixta, non me fallere queat. Perlectam ſepoſui, per ociũ ſubinde relecturus, cùm Muſis, ſimul ac Philoſophię indulgêre iuuabit. Bellaij poëmata, mihi poſt tuum diſceſſum, ter, quater relecta, ſemper magis ac magis allubeſcunt. Quanquam ſunt in iis nonnulla quæ me fugiunt, quòd ſcilicet res ipſas non capio. Neſcio quid ille Græcè uel Latinè præſtare queat: hoc unum ſcio, qualia ſcribit, niſi ab eo præſtari non poſſe, qui ſit uaria ac multiplici eruditione, iudicio autem perelegante perpolitus. Nam ſelectiſſimum illum Gallicę dictionis nitorem, ac perpetuam quandam in illa lingua gratiam, qui talem uel polliceatur, uel iam iam reipſa præſtet, nondum mihi quẽquam hactenus legere cõtigit. Tu hunc meo nomine plurimùm ſaluêre iubebis. Opto homini fortunã tali ingenio dignam. Nam uel inuita illa, clarus atq; illuſtris euadet. Quòd ſi fortunæ nihil acceſſerit, certé illius ipſius magno probro, uel potius ingenti ſummatûm uirorum pudori futurum eſt. Benè uale. Ex Leonuillano noſtro, quarto Cal. Septembr. M. D. LVIII.

AD D. MARG. HENR. II. Regis Christianiss. Sororem vnicam.

Principibus placuisse viris non vltima laus est,
Vt cecinit Latiæ gloria prima lyræ.
At ego qui patriis nuper digressus ab oris
Ausonium tento non bene certus iter,
Hæ tibi si placeant incultæ, Diua, Camœnæ,
Crediderim summis me placuisse Deis.

IOACH. BELLAII AND. ELEGIARVM LIB. I.

CVR INTERMISSIS GALLICIS LATINE SCRIBAT.

GAllica q̃ noſtri nunc linquant æquora remi,
Et Latij̈ tentent alta fluenta maris,
Haud ſpõte huc noſtra eſt uẽtis allapſa carina,
O Diua, ingenij̈ portus, & aura mei.
Sed tua ſidereas imitantia lumina flammas,
Lumina Amyclæa lucidiora face,
Dum regerent curſus patrij̈ per cærula ponti,
Nec quateret noſtram dira procella ratem,
Tunc licuit plenis ſecurum currere uelis,
Tunc mihi nec Scylla, aut nota Charybdis erat.
Sed pater Oceanus, Tethys, Nymphæque ſorores,
Cæteráque immenſi numina magna maris
Cæruleo curru ſtratis æqualiter undis
Præbebant facileis per freta longa uias.
Aſt ubi me rapidis alieno ſidere uentis
Externum puppis detulit in pelagus,

T unc ego Tyrrhenum præceps ſum raptus in æquor,
Tunc me triſtis hyems in uada cæca tulit.
H inc ſcopuli ingentes, ſubtérque latentia ſaxa,
Hinc terret uaſti gurgitis unda ratem.
N unc mihi pro Nymphis, immania corpora ponti
O ccurrunt, tumidis nunc furit Auſter aquis.
Quòd ſi iterum liceat cælo ſpectare ſereno
Sidera, quæ uelis dextra fuere meis:
T ùm demum Auſonios fluctus, uentóſque relinquam,
Et patrij repetam littora nota ſali:
V otáque ſeruatus ſacra ſuſpenſa tabella
Perſoluam templis, Margari Diua, tuis.

ROMAE DESCRIPTIO.

N on mea ſollicitet ſæuus præcordia Mauors,
Nec rabies litis, duráue iactet hyems.
N ec cupiam inſanos Aulæ perferre labores,
Sed cingant noſtras laurea ſerta comas.
N unc iuuat aërij ſacro de uertice Pindi
Ducere uirgineos per iuga celſa choros.
N unc iuuat umbroſis lentum iacuiſſe ſub antris,
Et longum plectro concinuiſſe melos.
S eu libuit molles flammas fœlicis Oliuæ
Hetruſcæ ad numeros perſonuiſſe lyræ:
S eu potius magni laudes contexere Regis,
Dicere uel laudes, Margari Diua, tuas:
V el qui nunc Romæ, Bellaiæ gloria gentis,
P urpureum magnus tollit ad aſtra caput.

Illius auſpiciis duras ſuperauimus Alpeis,
Et puchræ campos uidimus Heſperiæ.
Vidimus & flaui contortas Tybridis undas,
Sparſáque per campos mœnia Romulidûm:
Mœnia, quæ uaſtis paſsim conuulſa ruinis
Antiquas ſpirant imperioſa minas.
Vidimus, excelſi claueis qui geſtat Olympi,
Auguſtum mitra, purpureóſque Patres.
Quid referam magni pendentia culmina Petri?
Quo nullum Auſonia pulchrius extat opus.
Aurea quid memorem pictis laquearia tectis,
Altáque porticibus limina Pontificum?
Adde tot auguſtas ædes, tótque atria longa,
Quæque oculis villa eſt nomine pulchra ſuo.
Adde tot aërias arceis, molémque ſepulchri,
Auratáſque domos, pictáque templa Deûm.
Prætereo longos excelſo fornice ponteis,
Quos ſubter rapidis Albula fertur aquis.
Prætereo uaſtum lata teſtudine templum,
Quo cunctos coluit maxima Roma Deos.
Mitto Virginei ſurgentia marmora fontis,
Qui ſacer eſt ſummi numine Pontificis:
Multáque præterea ueteris mïracula Romæ,
Vndique defoſſo nunc rediuiua ſŏlo.
Hîc quoque (nam liceat toto decurrere campo)
Dicamus mores, inclyta Roma, tuos.
Si quis Palladias optet regnare per arteis,
Dulcia Romanis Attica mella fluunt.

Si placet armorum lusus, si cursus equorum,
Tyndaridas multos vrbs dabit ista tibi.
Si uarios Regum cupias audire tumultus,
Hîc ueri, & falsi nuntia fama uolat.
Si spectare iuuat Fortunæ iura potentis,
Non alio regnat latius illa loco.
Si Venus oblectat, Veneris sunt omnia plena:
Romani auspicium sanguinis illa fuit.
Hîc signa, hîc strepitus, uocésque, & nota uocantûm
Sibila, nec tacitis gaudia mixta iocis.
Hîc iuuat aut uarias passim saltare choreas,
Aut Thuscos cithara concinuisse modos.
Carpento inuectus pulchra cum matre Cupido
Arguto resonum pectine pulsat ebur.
Gemmea marmoream cingunt redimicula frontem,
Oráque fallaci murice tincta rubent.
Aurea lacteolo pendéntque monilia collo,
Et niueas ornat gemma coruſca manus.
Et bacca auriculis pendent, tortique capilli
Mille trahunt dulci colla subacta iugo.
Sidonias uestes limbus complectitur aureus,
Defluit in teneros & stola longa pedes.
Arte cothurnati librant vestigia gressus,
Arte oculi spectant, arte micant digiti.
Quicquid mollis Arabs, Aegyptus, quicquid & Indi,
Aut portant Tyrij, Roma beata tulit.
Quid referam lætas segetes, ac dona Lyæi?
Quid nemora, & saltus, rustica turba, tuos?

Quid

Quid gelidos fonteis, quid prata recentia riuis,
Et quicquid pingit vere ineunte sõlum?
Quæ licet Ausonia ſpectentur plurima terra,
Spectare in media plus tamen vrbe iuuat.
Quid memorem auguſtis ſpirantia marmora tectis
Artificum docta uiuere iuſſa manu?
An Patris implexos ſquamoſis orbibus artus,
Et natos iiſdem nexibus implicitos?
An Phœbum, & Venerem, Pario de marmore ſigna,
Saxáque in antiquos tam bene ficta Deos?
Hîc Roma inſignis galea, vultúque minaci
Victorum Regum colla ſubacta premit.
Hîc ludunt gemini prenſantes ubera Nati,
Vbera nutricis officioſa Lupæ.
Hîc plantæ affixis oculis, & corpore toto
Euellit ſpinam uiuus in ære Puer:
Terribilis claua fuluo ſtat nudus in auro
Herculeum ſpirans Amphitrioniades.
Hîc bellator Equus, tergum ſeſſore prẽmente,
Pectore flat Martem, naribus, atque oculis.
Cæſareos vultus quis non miretur, & ora
Tam multis Romæ conſpicienda locis?
Quis Tybrim notúmq; Lupa, notúmque gemellis,
Quis ſeptemgemini neſciat ora Dei?
Anguibus intortus, cubitóque innixa recumbit
Antoni Coniux fortiter auſa mori.
Hîc Martem alloquitur Cypris, lacrymíſque madentes
Inflectens oculos effera corda domat.

Hîc geminus Sonipes gemino cohibente Coloſſo,
Ceruicem attollens arduus arma fremit.
Hîc Puerum Satyrus vultúque, & munere tentat,
Munera grata quidem, non ferus ille placet.
Marmorea in uena vulnus demonſtrat Adonis,
Vulnus, quo iacuit dente ferocis apri.
Sed quid cæruleos tento percurrere fluctus,
Nocturnáſq; uolo connumerare faceis?
Singula ſi cupiam breuibus deſcribere chartis,
Scribentem calamus, deſtituátque dies.
Ardua Pyramidum dicam, truncóſque Coloſſos,
Mœſtáq; nunc uacuo muta theatra ſinu?
Aſpice ut has moleis, quondámq; minantia Diuis
Mœnia luxurians herba, ſitúſque tegant.
Hîc ubi præruptis nutantia culmina ſaxis
Deſcendunt cœlo, maxima Roma fuit.
Nunc iuuat exeſas paſſim ſpectare columnas,
Et paſſim ueterum templa ſepulta Deûm.
Nunc Martis campum, Thermas, Circúmque, Forúmque
Nunc ſeptem Colleis, & monumenta uirûm,
Hàc ſe uictores Capitolia ad alta ferebant,
Hîc gemini faſces, Conſulis imperium.
Hîc Roſtris locus, hîc magnus regnare ſolebat
Tullius, hîc plebis maxima turba fuit.
Heu tantum imperium terríſque, undíſque ſuperbum
Et ferro, & flamma corruit in cineres.
Quæq; fuit quondam ſummis Vrbs æmula Diuis,
Barbarico potuit ſubdere colla iugo.

Orbis

Orbis præda fuit, totum quæ exhauſerat orbem,
Quæq; Vrbis fuerant, nunc habet Orbis opes.
Cætera tempus edax longis tegit obruta ſeclis,
Ipſáque nunc tumulus mortua Roma ſui eſt.
Diſce hinc, humanis quæ ſit fiducia rebus:
Hic tanti curſus tam breuis imperij.
Roma ingens periit: uiuit Maro doctus ubique,
Et uiuunt Latiæ fila canora lyræ.
Naſonis uiuunt, uiuunt flammæq; Tibulli,
Et uiuunt numeri, docte Catulle, tui.
Saluete ô cineres, ſancti ſaluete Poëtæ,
Quos numerat uates inclyta Roma ſuos.
Sit mihi fas Gallo, ueſtros recludere fonteis,
Dum cœli Genio liberiore fruor.
Hactenus & noſtris incognita carmina Muſis
Dicere, & inſolito plectra mouere ſono.
Hoc mihi cum patriis Latiæ indulgete Camœnæ,
Alteráque ingenij ſit ſeges iſta mei.
Fortè etiam uiuent noſtri monumenta laboris,
Cætera cum domino ſunt peritura ſuo.
Sola uirum uirtus cœli ſuper ardua tollit,
Virtutem cœlo ſoláq; Muſa beat.

AD IANVM AVANSONIVM APVD ſummum Pont. oratorem Regium,

TYBERIS.

Fortè Pater gelido recubans Tyberinus in antro
Cœperat herboſis membra leuare toris:

Intextámq; humeris aptabat arundine ueſtem,
Cinxerat & flauas fronde uirente comas.
Quadraginta illi famulantur flumina lætis
Fluctibus, ille manu grandia ſceptra tenet.
Ipſe Anio dextra, læua ſtat ſulphureus Nar,
Obſeruat Regem cætera turba ſuum.
Stant Nymphæ circùm, uitreiſque ſedilibus altæ
Deducunt tenera mollia penſa manu.
Illis Aſſirio ueſtis ſaturata ueneno,
Multáque natiuo gemma colore micat.
Pars leuiter textas raro ſubtegmine telas,
Lanea uel tenui ſtamina pingit acu.
Pars uirides nectit feſta de fronde corollas,
Sparſáq; odorato florea ſerta croco.
Implicat hæc auro comptos de more capillos,
Diuidit aut flauam uertice cæſariem.
Illa leueis humeris nodo ſuſpendit amictus,
Colligit aut niueos ueſte tegente ſinus.
Hæc lauat irriguis candentia pectora lymphis,
Fluctibus immerſas ſiccat at illa comas.
Parte alia implexis per mutua uincula palmis,
Exercet lætos libera turba choros.
Hos inter uarios luſúſque, operúmque labores
Perſtrepit alternis aula canora modis.
Hæc ferit arguto uocaleis pectine chordas,
Auratam digitis pulſat at illa chelym.
Hæc teneros iuncta modulatur arundine uerſus;
Illa ſed agreſti carmina uoce canit.

At pater ipſe iacens immani corpore Tybris,
Muſcoſoque fouens hiſpida membra toro,
Veſtibulo in thalami cubito ſubnixus, & urnæ,
Subiectis ſenior iura dabat populis.
Et iam Phœbus equis medium confecerat orbem,
Spectabátque ſuas feruidus axis aquas,
Nuntius auguſtam Martis cùm uectus ad urbem
Veniſſe optatum dixit Auanſonium:
Qui Romam orator Gallorum ab Rege profectus
Eriperet ſæuis hoſtibus Italiam:
Clauigerúmque Patrem, Latiis qui præſidet aruis,
Mulcéret blandi uiribus eloquij.
Ergo ubi lęta Dei placidas uox impulit aureis,
Auditum & magni nomen Auanſonij,
Licet ingenti ſtrepitu crebreſcere fluctus,
Audirique imis murmura uorticibus.
Tum Deus oppoſitas aduerſo pectore lymphas
Diſpulit, ac ſummo ſuſtulit amne caput:
Demulcénſque manu concretam uligine barbam,
Hos placido lætus reddidit ore ſonos:
Veniſti tandem, aruis expectate Latinis,
O patriæ columen, præſidiúmque tuæ:
Veniſti, & magnæ ſpectas iam mœnia Romæ,
Dulcis ubi ſtatio eſt, & tibi certa domus.
Aſpice uiſendi ſtudio quæ turba per agros
Circunfuſa ruat littus ad Auſonium.
Aſpice pandentémque ſinus, totóque uocantem
Amplexu Romam, cæruleúmque Deum:

Qui fremitu denſo tumidis immurmurat undis,
Aduentúque tuo latius arua premit.
Ille ego ſum Tybris toto notiſſimus orbe,
Quémque uides campum, maxima Roma fuit.
Nunc deſerta iacet ſylueſtribus horrida dumis,
Nec bene quæ fuerit tanta ruina docet.
Roma tamen ſupereſt: Capitolî immobile ſaxum
Reſtat, & ingentis nominis umbra manet.
Aſpice templa Deûm ſublimibus alta columnis,
Et quàm nunc ſimilis Roma ſit ipſa ſui.
Aſpice quæ paſſim Romana palatia ſurgant,
Quæque ſit antiqui frons rediuiua loci.
Sic ueteri è trunco, conuulſis undique ramis,
Cæſa ſolet quercus fronde uirere noua.
Quid memorem ductos, ſpirantia marmora, uultus?
Aenea quid referam ſigna animata manu?
Quòd ſi nulla meo ſplendeſcat littore gemma,
Quámque Tagus uoluit, deſit arena mihi:
Nulla tamen noſtris decertet fluctibus unda,
Séque parem Romæ, non niſi Roma, ferat.
Adde tot egregias arteis, ſanctúmque Senatum,
Cuique patet clauſi ianua ſacra poli.
Hic uir hic eſt, Thuſcis ortum quem Montibus olim
Tam magnum Roma admiſit ad imperium.
Sunt hîc præterea diuini munera ruris,
Siue tua, ô Liber, ſiue, Priape, tua.
Sunt gelidi fonteis, textíſque umbracula ramis,
Et quicquid uerno ſidere fundit humus.

Hîc quoque ſunt Nymphæ, Veneres, Lusúſque, Iocúſque,
Hîc Muſæ, hîc Charites, hîc Amor, hîc Bromius.
Ergo tuos, hoſpes, paulùm obliuiſcere Gallos,
Noſter eris poſthac, nos erimúſque tui.
En quàm clara dies nobis affulſerit, & quàm
Aduentu redeant omnia læta tuo.
Ipſi lætitia uoces ad ſidera tollunt
Septem Vrbis Colleis, ſacráque templa Deûm.
Te nemus omne canit, celſis è montibus actæ
Nymphæ Laurentes inſtituúntq; choros.
Pars manibus uiolas, pars grandia lilia geſtat,
Pictáque purpureis plena caniſtra roſis.
At te Roma potens, magni ceu numinis inſtar
Suſpicit, in uultu totáque fixa tuo eſt.
Poſtmodò dicentis dulci pendebit ab ore
Iulius, & placida ſe feret aure trahi.
Dum cernet lætos auguſtæ frontis honores,
Te ſimilem ſpectans os humeróſque Deo.
Huc ergo auſpiciis iam te fœlicibus infer:
Hîc tibi partus honos, hîc tibi parta quies.
Nec tibi defuerint plauſus, nec præmia laudum,
Quíque tuum ſcriptis nomen in aſtra ferant.
Spectata in dubiis tua cùm prudentia rebus
Maturum obſeſſis afferet auxilium.
Auertétque procul Romanis arcibus hoſtem,
Soluet & iniuſto colla ſubacta iugo.
Tunc raptas Aquilæ fallax Cornicula plumas
Exuet, at Gallus proferet imperium.

Tutáque per Latios errabit Martia campos,
Nec metuet uiso noſtra Leone Lupa.
At Rex armipotens partis ex hoſte trophæis
Littore perſoluet debita uota meo.
Gradiúmque trahet manibus poſt terga reuinctis,
Extinguétque faces, Eumeni dira, tuas.
Atque iterum gemini claudet penetralia Iani,
Captáque ſuſpendet ſigna, Quirine, tibi.
Quadriiugo curru populos tunc uictor ouanteis
Celſus agens, templis aurea dona feret.
Dextram Parthenope, læuam tunc Flora tenebit,
Dicet Io Pæan cætera turba frequens.
At media comitum ſparſis per colla capillis,
Lacteolos pandens candida tota ſinus,
Nuda genu, nudóſque gerens Galathea lacertos,
Ac niuea in niueos ueſte fluente pedes,
Purpureos ſparget flores per ſtrata uiarum,
Mixtáque puniceis lilia cana roſis.
Ipſe etiam in uulgus Princeps donaria mittet,
Regali effundens munere largus opes.
Sic iterum antiquos ſpectabit Roma triumphos,
Herrici feſtos inſtituétque dies.
Cornua tunc Phœbe plenum lunabit in orbem,
Orbis & Herrici nomine plenus erit.
Tandem paciferæ foliis ornatus oliuæ
Deſcendet Maiæ filius, atque Iouis.
Et bona deſcendet ſummo Ioue nata parente,
Quæ ſola eſt noſtris Pax medicina malis.

Huius

Huius tu auſpiciis Gallum placabis Ibero,
Componens placida bella cruenta manu.
Hiſque iterum campis reddens Saturnia regna,
Littoribus condes aurea ſecla meis.
Tunc ego cincta gerens uiridanti tempora lauro,
Tunc melius laudes, & tua facta canam.
Hæc cecinit Tybris ſumma ſublimis ab unda,
Vt magni vultus uidit Auanſonij.
Tum fluctu intorto, latè ſpumantibus undis,
Cæruleo ſacrum condidit amne caput.

DE PACE INTER PRINCIPES Chriſtianos ineunda.

Nunc Anni exacto curſu, Ianique Calendis,
Claudatur gemini ferrea porta Dei.
Saturni redeant, redeant ut ſecula Iani,
Et niteat priſco ſidere clara dies.
Aurea quæ quondam, noſtris at ferrea ſeclis,
Sub longa placidos pace regebat auos.
Non illo quiſquam ferrum tractauerat æuo,
Nec dederant raucos æra retorta ſonos.
Nec domibus claues, fixus nec terminus agris,
Nec timor, aut ſæuis faſcibus imperium.
Aurea ſimplicitas auri ſpernebat aceruos,
Tutáque Erythræis gemma latebat aquis.
Sponte ſua fruges, fundebat & omnia Tellus,
Nec ſulco attritus vomer aduncus erat.

At nunc uę miſeræ per tot diſcrimina uitæ,
Per mare, per terras pauperiem fugimus.
Nunc rabies ferri cognata in uiſcera ſerpit,
Nunc rapido Martis turbine cuncta ruunt.
Aſpice Bellaio pereant ſed ſemina belli,
Ira, timor pereant, indomitúſque furor.
Qui nunc Heſperio tinctus, Gallóque cruore,
Exitium portat, Carole uicte, tuum.
Dum parat Herrico uirtus inuicta triumphos,
Magnus, ſed nimio ſanguine partus honos.
Iani igitur geminas claudat iam Gallia portas,
Exulet ac toto Thracius orbe Deus:
Dum pia Chriſtigenæ coeant in prælia Reges,
Pulſus & Europa Barbarus hoſtis eat.
Hîc ſe carceribus Mauors effundat apertis,
Hîc liceat ualidâ ſternere cuncta manu.
Quare agite, ô magni Reges, age maxime Iuli,
Iungite perpetua fœdera nexa fide.
Herrice armipotens, tantos compeſce tumultus,
Túque prior, Cæſar, proiice tela manu.
Vos tandem Europæ afflictis ſuccurrite rebus,
Ne cadat ut manibus ſaucia Roma ſuis.
Dúmque ſuos renuit dominos nimis aſpera ferre,
Externum diſcat ferre ſubacta iugum.

IN VITAE QVIETIORIS COMmendationem ad I. Morellium Eberod.

Fælix,

Fælix, qui patrio uiuit contentus agello,
Nec timidas captat ſemper auarus opes.
Hunc, hunc tuta quies ereptum mille periclis
Detinet, hic tacitus rura beata colit.
Non illum ſtulti terrent inſomnia uulgi,
Nauita nec triſtis, tergeminúsue Canis:
Sed puris manibus ſanctas accedit ad aras,
Et flectit facileis in ſua uota Deos:
Verè igitur fælix, Diis & numerandus in ipſis,
Quem Sophia in molli detinet alma ſinu.
Hæc te, Morelli, populo ſubduxit inerti,
Hac duce ſublimi ſidera fronte petis.
Hæc te eadem immenſi cauſas perquirere mundi
Iuſsit, & erecta cernere mente Deum.
Hac fretus cælique minas, terræque marísque
Deſpicis, & magno cuncta domas animo.
Nec tamen hoc ſtudium eſt, uacua requieſcere in umbra,
Tradere uel molli pectora deſidiæ:
Sed cùm cuncta obeas ciuilis munera uitæ,
Nec pars ulla tuo ceſſet in officio,
Sic uitam inſtituis, dubiæ nil credere ſorti,
Fortunam aut rebus præpoſuiſſe tuis.
Non aliter, tuto quàm qui de littore puppim
Iactari toto proſpicit Oceano:
Aut flammam è ſpecula ſecurus deſpicit alta,
Aut curſum è ſumma rupe furentis aquæ.
Huc dulces nati accedunt, coniúxque pudica,
Et quam quiſque ſibi gaudeat eſſe domum.

Quid memorem quàm lauta tibi, quàm munda ſupellex,
Quàm cultus ſimplex, & ſine labe decor?
Nam tua quàm pateat Muſis domus, ipſe fatetur,
Qui ferit auratâ carmina docta lyra:
Auratus Latiis pariter, Graiiſque Camœnis
Noſtra æquans priſcis ſecula temporibus.
Ronſardúſque grauis, magno qui vindice tutus
A ueteri tandem ſe aſſerit inuidia.
Denique ſic uita eſt, ut cùm tibi præſtiterint Dij,
Prudenti, & ſano quod ſatis eſſe poteſt,
Inuideat nullus, ſummis ſed gratus, & imis
Aequalis magnis Regibus eſſe queas.
Hei mihi, quòd patriis dum nunc agor exul ab oris,
Tam dulci uita non licet uſque frui.

AD P. RONSARDVM LYRAE Gallicæ principem.

Ronſarde, Aoniæ meritò pars maxima turbæ,
Pars animæ quondam dimidiata meæ:
Cui plectra, & neruos ſeſe debere fatetur
Gallica Dircæo pectine pulſa chelys.
Muſarum nunc alma parens te Gallia, nunc te
Detinet inuicti Principis Aula tui.
Doctus ubi tonat ore tuus tua carmina Carlus,
Antiquæ Carlus gloria Burdigalæ.
Muſarum Antiſtes Carlus, cui candida Pallas
Ingenuis finxit moribus ingenium.

Hic

Hic tibi conciliat proceres, Regémque potentem,
Nec tua iam lædit carmina liuor edax.
Fœlix, qui populi toto plaudente Theatro
Viuus adhuc diram contudit inuidiam.
Hoc tu, Ronſarde, & populis, & Regibus æquis,
Vicisti monſtrum viribus Herculeis.
Macte animo, iam certa tibi victoria parta eſt,
Præcingitque tuum ſacra corona caput.
Iam tibi tota cohors Phœbi, iam Phœbus & ipſe
Aſſurgit, medio conſtituítque choro.
Elyſiis qualem mirantes Orphea campis
Hinc atque hinc denſæ ſuſpiciunt animæ.
Quis te igitur uiuit, Ronſarde, beatior uno,
Aut cui tot præſtant numina delicias?
Nunc te culta tenent celſi vineta Sabuti,
Nunc uirides Braiæ, Gaſtineúmque nemus.
Et tua Ledinæ reſpondent carmina Nymphæ,
Et ſalit ad numeros Belleris unda tuos.
Fœlices Nymphæ, queis talem audire poëtam,
Et licuit ſacros ducere nocte choros.
Ille colit ueſtras, tutiſſima numina, ſyluas,
Ille antra, & fluuios, ſaxáque ueſtra colit.
Nos miſeri intereà, rapidis iactantibus Auſtris,
Per mare, per terras pauperiem fugimus.
Sed non effugimus curam, quæ nocte, diéque
Nos ſequitur terra, perſequitúrque mari.
Heus ubi contemptus fortunæ, inuictáque quondam
Vis animi, & longæ poſteritatis amor?

Cùm Phœbo monſtrante uiam ſuper ardua Cyrrhæ,
Tranabam celeri nubila celſa fuga.
Atque humiles curas, ſtrepitúſque interritus omnes
Spernebam, laudis ductus amore tuæ.
Nunc mihi neſcio quo torpet mens ipſa ueterno,
Letheúſque urget lumina noſtra ſopor.
Nec iam Cyrrha placet, nec iam Permeßidos unda,
Hic totus noſtro è pectore fluxit amor.
Quid iuuat inſanis uitam traducere curis,
Atque animum uano ſollicitare metu?
Fortunati olim, patrio dum rure beatos
Nos fouit molli Calliope in gremio.
Hæc te naſcentem teneris excepit in ulnis,
Et blandùm arridens, ſis mihi natus, ait.
Hæc te eadem docuit fallacis præmia vulgi
Spernere, & inſolita currere ad aſtra uia.
Hac duce Pierias gemino de uertice Muſas
Deduxti ad Ledi parua fluenta tui.
Nunc ubi Caſſandræ magno imflammatus amore
Hetruſcos ſuperas ore canente modos:
Nunc plectro grauiore ſonas hominéſque, Deúſque,
Pindaricæ doctus tangere fila lyræ.
Nec piguit molli uerſus deducere filo
Siue Catulle tuos, ſiue Tibulle tuos.
Quicquid agis (nam te nunquam ceſſare putandum eſt)
Omnia diuino digna Marone ſonas.
Seu Bacchi numeros, ſeu ruſtica carmina pangis,
Gratia Ronſardi ſemper in ore ſedet.

Parua

Parua loquor. iam tota tuum, iam Regia Francum
Læta ſonat, Francum Gallia tota canit.
Hîc quoque (& ipſa canit flaui te Tybridis vnda)
Franciados reſonat fama ſuperba tuæ.
Ergo age dum Citharam pulcher tibi tendit Apollo,
Dúmque tuis adſunt numina carminibus,
Scribe, aude, atque aliquid iam tandem Gallia iactet,
Græcia cui cedat, cedat & Auſonia.

PATRIAE DESIDERIVM.

Quicunque ignotis lentus terit ocia terris,
Et uagus externo quærit in orbe domum,
Quem non dulcis amor, quem non reuocare parentes,
Nec potuit, ſi quid dulcius eſſe poteſt,
Ferreus eſt, dignúſque olim cui matris ab aluo,
Hyrcanæ tigres vbera præbuerint.
Non mihi ſaxea ſunt, duróue rigentia ferro
Pectora, nec tigris, nec fuit vrſa parens,
Vt dulci patriæ durus non tangar amore,
Tótque procul menſes exul ut eſſe uelim.
Quid nanque exilium eſt aliud, quàm ſidera nota,
Quàm patriam, & proprios deſeruiſſe lares?
Annua ter rapidi circum acta eſt orbita Solis,
Ex quo tam longas cogor inire uias:
Ignotíſque procul peregrinus degere tectis,
Et Lyrij tantùm uix meminiſſe mei,
Atque alios ritus, aliósque ediſcere mores,
Fingere & inſolito uerba aliena ſono.

At quid Romana (dices) ſpecioſius Aula,
Aut quiſnam toto pulchrior orbe locus?
Roma orbis patria eſt, quique altæ mœnia Romæ
Incolit, in proprio degit & ille ſŏlo.
Forſan & eſt Romæ (quod non contingere cuiuis
Hîc ſolet externŏ) uiuere dulce mihi:
Eſt cui purpurei patruus pars magna Senatus,
Atque idem Aoniŭ pars quoque magna chori,
Qui noſtras ornétque bonus, foueátque Camœnas,
Arceat à noſtro pauperiémque lare.
At quoties ſtudia antiqua, antiquóſque ſodales,
Et memini charam deſeruiſſe domum,
Quondam ubi ſollicitas Perſarum temnere gazas,
Et fœlix paruo uiuere doctus eram:
Ipſa mihi patriæ toties occurrit imago,
Et toties curis torqueor uſque nouis.
Vtq; nihil deſit, nobis tamen omnia deſunt,
Dum miſeris noto non licet orbe frui.
Nec Ligeris ripas, ſaltus, ſyluáſque comantes
Cernere, & Andini pinguia culta ſŏli,
Quæ lacte, & Baccho, flauentis & ubere campi
Antiquæ certant laudibus Italiæ.
Aſt Ithacus, licet ipſa foret Laërtia tellus
Et Bacchi, & Cereris muneribus ſterilis,
In patriam rediit, reditum nec pulchra Calypſo,
Nec pulchra Alcinoi detinuit ſoboles.
Fœlix, qui mores multorum uidit, & vrbes,
Sedibus & potuit conſenuiſſe ſuis.

Ortus

Ortus quæque ſuos cupiunt, externa placéntque
Pauca diu, repetunt & ſua luſtra feræ.
Quando erit, ut notæ fumantia culmina uillæ,
Et uideam regni iugera parua mei?
Non ſeptemgemini tangunt mea pectora Colles,
Nec retinet ſenſus Tybridis unda meos.
Non mihi ſunt cordi ueterum monumenta Quiritûm,
Nec ſtatuæ, nec me picta tabella iuuat:
Non mihi Laurentes Nymphæ, ſyluæque uirentes,
Nec mihi, quæ quondam, florida rura placent.
Ipſæ etiam quæ me primis docuere ſub annis
Ad citharam patrio flectere uerba ſono,
Heu fugiunt Muſæ, refugitque auerſus Apollo,
Et fugiunt digitos mollia plectra meos.
Aulica dum noſtros geſtaret turba libellos,
Et tereret manibus carmina noſtra ſuis:
Dúmque meos Regis ſoror, illa, illa inclyta virgo
Afflaret ſancto numine uerſiculos,
Margaris inuicti Regis ſoror, aurea virtus
Inter mortales cui dedit eſſe Deam:
Tunc licuit totum fœcundo pectore Phœbum
Concipere, & pleno pandere uela ſinu.
Nunc miſeri ignotis cæci iactamur in undis,
Credimus & Latio lintea noſtra freto.
Hoc Latium poſcit, Romanæ hæc debita linguæ
Eſt opera, huc Genius compulit ipſe loci.
Sic teneri quondam vates præceptor Amoris,
Dum procul à patriis finibus exul agit,

Barbara (nec puduit) Latiis prælata camœnis
Carmina non propriam condidit ad citharam.
Carmina Principibus gaudent, plauſuque theatri,
Quique placet paucis, diſplicet ipſe ſibi.

VERONIS IN FONTEM SVI nominis, Ad Iac. Spiffamium Epiſc. Niuernenſ.

Verona genitrice olim, Phœboque parente,
Benaci ad ripas edita Nympha fui.
Nympha decus Latij, qua non formoſior ulla
Formoſas uiſa eſt inter Hamadryadas.
Veronis mihi nomen erat, Veronidis ardor
Syluestres uſſit, capripedeſque Deos.
Quos tamen eluſi connubia noſtra petentes,
Nec mea laſciuus pectora leſit amor.
Nam mihi uirginei placuit laus una pudoris,
Soláque, quam colui, caſta Diana fuit.
Multa meis iaculis preda eſt deiecta, meúmque
Inſcriptum ſpoliis robora nomen habent.
Sed dum fortè ſequor celeris uestigia ceruæ,
Dúmque leuis crineis uentilat aura meos,
Me pater aſpexit uitreo Benacus ab antro,
Continuò flammis incaluítque nouis.
Ergo Deus uiſamque cupit, ſequitúrque cupitam,
Precipiti fugio nota per arua pede.
Non amnes, monteſque fugam, non ſaxa morantur:
Tardius è neruo miſſa ſagitta uolat.

Nec

Nec minus ille uolat. magnum eſt certamen utrinque:
Me timor, aſt illum feruidus urget amor.
Quem fugis? ah demens: ſæuum ſic cerua leonem,
Crudelem mitis ſic fugit agna lupum.
Non ego cornigeri natus de ſanguine Fauni,
Nec ſum laſciuo de grege capripedum.
Me quondam Heſperiis genuit pater Adria campis,
Cui Thetys genitrix, Oceanúſque parens.
Hunc tibi do ſocerum. non eſt leue numen aquarum:
Benacus coniux nec tibi turpis erit.
Sic ait, & rapidis præceps uolat ocyor Euris:
Effugio celeri per iuga ſumma gradu.
Iámque per aërios colleis, campóſque patentes
Ventum erat undoſi littus ad Eridani.
Tum mihi decurrit toto de corpore ſudor,
Spiritus & grauior tum mihi membra quatit.
Et iam iámque magis feſſam premit improbus hoſtis,
Iámque meas afflat proximus ore comas.
Virginis ô miſerere tuæ, Latonia virgo,
Si colui numen Nympha pudica tuum.
Vix ea finieram, totúmque liqueſcere corpus
Cœpit, & ex Nympha lympha repentè fui.
Me tamen ille capit, uotóque potitus inani
Stringit, at ex manibus protinus effugio.
Inuenáſque abeo magnæ per uiſcera terræ:
Luſit amatorem ſic Arethuſa ſuum.
Non tamen effugies, dixit, liquidúſque repentè
Perſequitur noſtram ſæuus ut antè fugam.

Sed grauior, cursumque trahens maioribus undis
Inuitus fontes reppetit ipse suos.
Nec minus intereà (uireis timor addit eunti)
Sub terram celeri labimur unda pede.
Quaque licet, patrios tuto iam tramite campos,
Linquimus & Latij rura inimica sŏli.
Linquimus Allobrogum montes, alpeisque niuosas,
Tangimus & fines, Gallia pulchra, tuos.
Finibus & Senonum fessæ requieuimus. illic,
Illic tam longe meta reperta fugæ.
Paruus erat molli deiectus tramite cliuus,
Hunc subter uiridi gramine floret ager.
Illic herboso paulatim cespite campus
In tumulum surgit. hàc uia aperta mihi est.
Hinc nouus egredior salientis riuulus undæ:
Hîc cælum nobis contigit, atque sŏlum.
Quin mirere magis: latè porrectus in orbem
Fons scatet, atque imo uortice torquet aquas.
Hinc furit emissus sinuoso è gurgite riuus,
Limosusque fluit, duráque saxa creat.
Dura silex Cererem rapido demittit ab orbe,
Quódque opus est amnis, fontis & illud opus.
Inde per herbosum trepidanti murmure callem
Nostra suum timidè lympha recurrit iter.
Atque iterum liquido sub terram mergitur amne:
Nunc quoque uirginei cura pudoris inest.
Aureus est fundus nobis, argentea lympha,
Purpureo circum flore renidet humus.

Et

Et circum in uiridi crepitantis margine riui
Intexunt denſas lenta ſalicta comas.
Hîc uolucres liquidas mulcent concentibus auras:
Hîc faciunt ſomnos murmura blanda leueis.
Hîc cantant niuei per prata recentia Cygni,
Hinc paſti referunt vbera tenta greges.
Pacciades Nymphæ, Satyri, Dryadéſque puellæ
Hîc agitant lætos nocte ſilente choros.
Alterniſque canunt diuini fontis honores,
Spiffamique ſui nomen in aſtra ferunt.
Qui pecus immundum noſtris procul arcet ab undis,
Et ſacri fontis me iubet eſſe Deam.

VOTVM RVSTICVM IOLAS.

Quà Ligeris læta arua ſecat, iunctúſque Meuanæ
Pampineos inter colles, ſyluáſque uirentes,
Leniter effuſus, placidis pulcherrimus undis,
In mare cæruleum flauentes uoluit arenas:
Paſtorum dum læta cohors, durique coloni,
Qui Drynium, qui culta tenent vineta Lyræi,
Boſylij quique arua colunt, humilémque Marillum,
Florenti qui ſaxa tenent, quique ardua ſeruant
Montis, Iane, tui, & quæ illo ſunt cognita tractu,
Rura ſuper uirides Ligerim ſpectantia ualles:
Hîc dum lecta manus Paſtorum, & ruſtica turba,
Incluſis gregibus balantûm, atque ordine longo

Per tecta effusis nota ad præsepia tauris,
Valle sub umbrosa, uiridique in margine ripæ
Indulgent ludis, & festa luce frequentes
Conueniunt, celebrántque diem solennibus aris:
Ipse inter primos Pani dilectus Iölas,
Andinis quondam latè memoratus in oris,
Serta gerens, glaucáque comam præcinctus oliua,
Vota facit, uiridique aram de cespite campi
Constituens, suppléxque Deos sic ritè precatus,
Voce Palem, Cererémque uocat, Bromiúmque potentem.
Has tibi, magna Pales, Cereríque, patríque Lyæo
Nectimus ex flore, ex spicis, ex uite corollas.
Falcifer, & Messor, maturæ uinitor uuæ,
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Vere nouo lætis uariantur floribus arua,
Sole sub ardenti flauescit campus aristis,
Pampinea colleis Autumnus protegit umbra.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Pabula sint igitur, segetes, uinetáque læta,
Pascua nec pecudes lædant, nec iacta uolantes
Semina, nec gemmas rodat lasciua capella.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Nulla tegant herbæ nostros aconita per agros,
Nulláque per segetes sterilis dominetur auena,
Dulcibus aut errans noceat labrusca racemis.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Graminibus Boreas, maturis frugibus imber,
Vitibus hostis hyems: pratis ast aura Fauonî,

Messibus

Messibus & soles, Autumnus uitibus adsit.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Interea irriguas pratis immittite lymphas,
Vertite humum rastris, Cererémque abscondite terra,
Atque acie falcis nimias compescite uites.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Inde ubi tempus erit, congestum attollite gramen
In cumulum, & strictis segetem densate maniplis,
Spumosóque lacu grauidos calcate racemos.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Hinc ergo incipiant curuæ splendescere falces:
Iam nimio, iam plena ruent fœnilia fœno,
Horrea nec messes capient, nec cymbia musta.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Luce sacra nec pastor oues educat ouili,
Curuus aratra tenens nec tauros iungat arator,
Vinitor aut uites ausit cohibere fluentes.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Sed pars accenso celebrate Palilia fœno,
Pars manibus gestate piis Cereale papauer,
Pars etiam capiti uirides aptate corymbos.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Omnia sint operata Pali, Cererique, Patríque
Vitifero: sit cura bonis hæc omnibus una,
Prata, arua, & vites sacris lustrare choreis.
Vota Pali, & Cereri iam soluite, soluite Baccho.
Fundite bina Pali niuei carchesia lactis,
Agna cadat Cereri, pinguis cadat hœdus Iäccho.

Sic fatur: ſacríſque Deûm de more peractis,
Thura dedit, plenáque aras ueneratus acerra,
Luſtrauit ſocios, ſpargens fluuialibus undis.

LIBRI ELEG. FINIS.

AD LECTOREM.

Cùm tot natorum caſto ſociata cubili
Muſa ſit ex nobis Gallica facta parens,
Miraris Latiam ſic nos ardere puellam,
Et ueteris, Lector, rumpere iura tori.
Gallica Muſa mihi eſt, fateor, quod nupta marito:
Pro Domina colitur Muſa Latina mihi.
Sic igitur (dices) præfertur adultera nuptæ?
Illa quidem bella eſt, ſed magis iſta placet.

IOACH. BELLAII ANDINI VARIA EPIGRAMMATA.

AD HERRICVM. II. REGEM CHRISTIANISS.

ESSE dedit cunctis, solus qui dicitur esse,
Omnia qui solus fecit, & ex nihilo:
Illius hoc opus est, rerum cui summa potestas
Soli est, & summæ cui bonitatis honos.
Multorum magna est, Herrice, potentia Regũ,
Magna quidem fama, sed sit ut illa tamen
Magna, tibi cedit, cedit cui quicquid in orbe est,
Quique minor solo cerneris esse Deo.
Omnipotens igitur cùm sit, qui cuncta creauit,
Quique suo claudit cuncta sub imperio,
Tu, cui sola Deus meta est, Rex maxime Regum,
Fac quoque & ipse tuæ sim bonitatis opus.
Vt tua & in paruis magna illa potentia crescat,
Et facias aliquid, quod fuit antè nihil.

DE LAVDIBVS GALLIAE
Ad Annibalem Carum.

Chara Deûm ſoboles, Phœbo chariſsime Care,
Quem Charitum edocuit, Pieridúmque chorus:
Quas tibi pro meritis perſoluet Gallia grates?
Præmia quæ referet, magne poëta, tibi?
Tu dum cæruleis laudas permixta hyacinthis
Aurea ab ætherio lilia lapſa polo,
Sic proceres Gallos celebras, Regémque potentem,
Vt iam ſit ſuperos, ſit minus eſſe Iouem.
Magna uirûm, frugúmque parens, Mauortia tellus,
Gallia ſic per te tollit ad aſtra caput,
Vt currus, turréſque ſuas, Phrygióſque leones
Huic facilè cedat magna Deûm genitrix.
Illa Iouis partu medias it celſa per urbes,
Hæc uiget Herrici numine læta ſui:
Illa per Idæos pulſat caua tympana colles,
Hæc tonat ad ripas, Rhene ſuperbe, tuas.
Illam ſemiuiri circunſtant undique Galli,
Gallorum hanc ſequitur Martia turba uirûm.
Cúmque Deûm matris lætam exuperantia ſortem
Tot ſe ingens tollat Gallia nominibus,
Nulla tamen tantis maior de laudibus extat,
Quàm quòd te vatem nacta ſit illa ſuum.

AD BASILIVM ZANCHIVM.

Vere nouo ut Tellus nectit de fronde corollas,
Aeſtate ut capiti ſpicea ſerta gerit,

Vt

Vt grauis Autumnus maturat in arbore poma,
Iris ut imbrifero ſæpè colore micat,
Aurora ut gemmis diues, Pactolus arenis,
Sideribus Cœlum, carminibúſque Maro:
Sic tibi (nam liceat pulchris componere pulchra)
Ex uario cingit flore corona caput.
Sic tibi diues ager, pleno ſic copia cornu eſt,
Sic uariat uultus læta Camœna tuos.
Sic tua Erythræis ſplendeſcit Muſa lapillis,
Sic tuus auriſluo currit ab amne liquor.
Sic ardet ſtellis, ſic fertur ad æthera cantu,
O Zanchi, ingenij uena beata tui.
Quòd ſi eadem haud facies, nec par ſit gratia formæ
Omnibus, hinc illis gratia maior ineſt.
Hac flores ratione placent, hac flauus ariſtis
Campus, & Autumnus, verſicolórque Dea.
Hac iuuat & gemmas ſpectare, aurique fluenta,
Hac aſtra, & magni grande Maronis opus.

IN IMMODICVM VINI petitorem.

Fauſte, tuum legi craſſum farragine librum:
In toto libro nil niſi uina petis.
Nil niſi uina petis, ſolus tibi Bacchus in ore eſt,
Et ſolum potas ex Helicone merum.
Si tam uinoſus, quàm ſunt tua carmina, Fauſte es,
Carmina, quæ ſcribis, ſunt placitura diu.

IN EVM QVI LIBRVM *inscripserat Iuuenilia.*

Nestoreus scribis iuuenilia carmina vates.
Macte animo, nam sic incipis esse puer.

IN LIBRVM, QVEM SVPPRESSO *Authoris nomine erat emissurus.*

Liber, i nostrum, sine nomine, nomen ad astra
Perfer, & ex nostro nomine nomen habe.
Non tibi defuerit nomen, si nomine dignus:
Si minus, ignoto nomine tutus eris.
Ingenium, uiresque tibi dat regia virgo:
Quæ dedit ingenium, nomen & ipsa dabit.

IN LIBRVM TRISTIVM, *Authoris opus Gallicum.*

Quem, Lector, tibi nunc damus libellum,
Hic felliſque simul, simúlque mellis,
Permixtúmque salis refert saporem.
Si gratum quid erit tuo palato,
Huc conuiua ueni: tibi hæc parata est
Cœna. sin minus, hinc facesse, quæso:
Ad hanc te uolui haud uocare cœnam.

AD LAVRENTIVM GAMBARAM.

Dum tenui paruam meditaris arundine Musam,
Miratúrque tuos rustica turba modos,

Non

Non Siculus paſtor molli concedit auena,
Ipſe tibi cedit ſed Deus Arcadiæ.
Dum tua littoreas demulcent carmina Nymphas,
Et reſonant cantu concaua ſaxa tuo,
Non tibi Synceri toto nota æquore concha,
Sed cedit Triton, Carpatiúſque ſenex.
Dum ferus Anguipedum dictat tibi prælia Mauors,
Et tonat ad numeros Iuppiter ipſe tuos,
Non tibi Mœonides diuino carmine cedit,
Sed cedit uicta pulcher Apollo lyra.
Cùm tua ſint igitur ſyluis, pelagóque, polóque
Cognita tot magnis carmina numinibus,
Laurenti, quæ digna ſatis te Laurea cingat,
Qui ſuperas homines, qui ſuperásque Deos?
Scilicet es dignus, frater cui Thracius Orpheus,
Sit genitor Phœbus, Calliope genitrix.

IN MALVM POETAM.

Quòd fronte obducta, pullóque incedat amictu
Mœuius, & crebros excutiat gemitus,
Non charam vxorem, fratres, aut dulcia natos
Pignora, nec matrem, nec gemit ille patrem.
Librorum exequiis interfuit ipſe ſuorum:
Hinc illæ lacrymæ Mœuio, & hinc gemitus.

IN TITVLVM CVIVSDAM LIBRI.

Paule, tuum inſcribis Nugarum nomine librum:
In toto libro nil melius titulo.

IN FRANCINAM
I. A. Baifii.

Cedite, qui teneros Galli cantatis amores,
Cedite Baifio: cedere iußit Amor.
Sic ſoliti rapidis parui torrentibus amnes,
Sic humilis magno cedere flamma rogo.
Túque adeo uiridi cingis qui tempora myrto,
Ronſarde, Aonij gloria prima chori,
Cede Deo: nanque ipſe Deus te cedere iußit,
Qui iubet imperio cedere cuncta ſuo.
Quòd ſi maiorem magnus iam ferre recuſas,
Téque iuuat Diuis oppoſuiſſe Deos,
E ia age, perge tuum Francinæ opponere Francum,
Et pro Caſſandra Martia bella cane.
Sume tubam, ſat Muſa tibi præluſit amores:
Tu numero pugnas iam grauiore ſona.
Sic demum poteris magnum præſtare Maronem,
Sic cedent lituo mollia plectra tuo.
At vos, qui teneros Galli cantatis amores,
Cedite Baifio: cedere iußit Amor.

DE MELINA, ET FRANCINA
eiuſdem Baifii.

Pulchrior ut Nemeſis culto dilecta Tibullo
Succeſſit flammis, Delia pulchra, tuis:
Sic Francina tuum nuper cantata poëtam
Pulchrior eripuit, pulchra Melina, tibi.

Forſan

Forsan & in uestri sera sed morte Tibulli
Dum feret ardentes cætera turba faces,
Nascetur pulchrum uobis certamen amoris:
O gratum cineri funus, amice, tuo.

IN TVRBAM POETARVM gallicè scribentium.

Quàm multi canibus generantur sæpè catelli,
Quorum hic sit matri proximus, ille patri,
Tam multos nuper fœtus enixa poësis
Gallica, Phœbeo numine facta parens.
Verùm ex tot natis generosi semina partus
Forsan (& hoc mirum est) unus, & alter habet.
Quid superest igitur? nempe ut contingat utrisque
Quod canibúsque malis, quod canibúsque bonis.
Hi bene curati tecto asseruantur herili,
A coruis illi, uel rapiuntur aquis.

AD P. RONSARDVM VT RELICTIS Amoribus Heroica scribat.

Imbellem citharam, pastor qua Dardanus olim
Formosæ Veneris molle canebat opus,
Spreuit Alexander, citharámque poposcit Achillis
Magnorum solitam gesta referre Ducum.
Hac, Ronsarde, tibi tuus est tollendus ad astra
Francus, ad hos numeros te tua Musa uocat.
Ergo suas Veneri lacrymas, lusúsque relinque:
Aptior ad pugnas est tibi facta lyra.

IN AVLVM SVPERBVM.

Te fratrem pudet, Aule, quòd uocare
Fratrem ex pellice quem tibi reliquit
Optimus pater, optimum, tuique
Natum dißimilem, inſolenter, Aule,
Hoc certè facis, & facis proteruè.
Nam quid fratre notho Aulus iſte, quæſo,
Quem tu legitimum ſubinde iactas,
Maius præſtitit? an putas, inepte,
Fabro loripede Herculem minorem?

AD MATVRINVM MARAESIVM.

Quæ cecini Lyreas Ligerini ad fluminis undas
Dum patriæ tento fila canora lyræ,
Quanuis culta parum, ueſtris nec digna Camœnis,
Illa tamen lætor grata fuiſſe tibi.
Gratulor ergo tibi patrios placuiſſe lepôres,
Et tibi quòd placeam, gratulor ipſe mihi.
Gratulor & patriæ, talem te, docte Maræſi,
Quæ tulerit, qualem Mantua Virgilium.
Mincius hunc ſtupuit lituo fera bella canentem:
Miratur numeros at Liger ipſe tuos.
Vtque Andina tibi patria eſt, Andina Maroni
Sic fuit, & vatem hæc iactat, ut illa ſuum.

IOCVS IN PILORVM DEFLVVIVM.

Aſſiduè poſcis noſtros, ô Marce, libellos,
Carminá que affirmas noſtra placere tibi.

Eſt nihil in noſtris dignum te, Marce, libellis:
Iſta legant pueri, tu grauiora legas.
His grauiora decent te nanque poëmata: ſed ſi
Marce, tuum rectè nouimus ingenium,
Quanuis priſca tibi ſit frons, vultúſque Catonis,
Tu tamen iſta leges abſque ſupercilio.

IN DIDONEM DORMIENTEM.

Si tibi, quam dedit ars, formam Natura dediſſet,
Clauſiſſetque oculos hæc tibi blanda quies,
Fruſtra Atlantiades cœlo demiſſus ab alto
Perferret magni iuſſa ſuperba Iouis.
Nec te Dardanius morituram linqueret hoſpes,
Nec foderes ferro pectus, Eliſa, tuum.

IN QVAESTOREM IVLII CHIRAGRA laborantem, & Spinellum poëtam mendicum.

Quæſtoris Iulî miſeram lacerare chiragram
Spinellus ſcriptis nititur uſque ſuis.
Quæſtorem Iulî uexat nodoſa chiragra,
In miſerum vatem μαρσυπιαγρα furit.
Μαρσυπιαγρα ſuum linquet ſed dira poëtam,
Quæſtorem linquet quando chiragra ſuum.

IN AMICAM GELLII.

Scire cupis, Gelli, quàm pallida, lignea, ſicca,
Denique quàm ſit Mors iſta puella tua?

Hæc eſt tam ſimilis Morti, ut cùm nuper ad amnem
Aſtaret gelidas pallida propter aquas,
Protinus hac uiſa, notis abiectus in herbis
Flebile neſcio quid cœperit albus olor.

SATYRAM PERICVLOSISS. ESSE *genus ſcribendi, ad Marinum.*

Ne tu uerſiculis tuis, Marine,
Hoc eſt enſe tuo, furens ut Aiax,
Te ipſum conficias, tuáque ab arte
Artifex pereas, miſer Perillus,
Sume, ni piget, aut tibi moleſtum eſt,
Fidi conſilium tui ſodalis.
Si quid ſit tibi de Deo loquendum,
Aut quo numina ſint colenda ritu,
Sis catus rogo, nec uelis (quod aiunt)
Cornicum, ut ſapiens queas uideri,
Conſixiſſe oculos. grauis ſophorum
Ira. hos lædere, ſi ſapis, caueto.
Nec minus tibi Principes cauendi,
Longas eſſe manus quibus loquuntur.
Haud quiſquam ſapiens Iouem laceſſit,
Nec impune diu fuit proteruus,
Quiſquis crimina Principum notauit.
Adde his, ſi lubet, hos ſuperbiores,
Feros, intrepidos, & impotentes,
Ne non carmina, par pari ut rependant,

Penſent

Penſent carminibus, parum ſed ipſi
Curantes Aganippides puellas,
Styli ferro aciem tui retundant.
Illa denique, ne hinc & hinc uagando
(Quod nolim) tibi fortè ſim moleſtus,
Erunt præcipuè cauenda uerba,
Quæ (quod dicitur) ut ſemel uolarunt,
Nobis per iugulum redire poſſunt.

AD IVLIVM. III. PONT. MAX.

Pontifici ſua ſint diuino numine tuta
Culmina, nec Montes hos petat omnipotens.

AD CAROLVM CAESAREM.

Cæſareum tibi ſit fœlici ſidere nomen
Carole, nec fatum ſit tibi Cæſareum.

AD HERRICVM. II. REGEM Chriſtianiſs.

Bellipotens tibi det uirtutem, Cynthia curſum
Lumine fœlici det tibi perpetuum.

AD FERDINANDVM ROM. REGEM.

Romulidûm bone Rex, magno ſis Cæſare maior
Nomine, nec fatis, aut minor Imperio.

AD PHILIPPVM HISP. REGEM, *incerti authoris.*

Coniugium tibi Rex fœcundent numina longo
Semine, nec ſterilis ſit tibi progenies.

AD LODOICVM BAILLOLIVM.

Perlege Romano deſcriptam carmine Romam
Bellaius cecinit quam, Lodoice, tuus.
Perlege: quicquid id eſt, nam quod tibi ſcribimus uni,
Iudicio poterit tutius eſſe tuo.
Nulli nota magis ueterum monumenta Quiritûm,
Nec quiſquam nobis æquior eſſe poteſt.
Conueniens igitur, paruum licet, accipe munus:
Atque idem noſtri pignus amoris habe.
Vt legere hîc poſsis, quæ nos luſtrauimus unà,
Dúmque leges, noſtri te meminiſſe iuuet.

AD HERRICVM II. REGEM Chriſtianiſs.

Non mihi Germanus, non eſt metuendus Iberus
Herrice, aut ſi quid durius eſſe poteſt.
Pauperies metuenda mihi, qua durior hoſtis
Nullus: in hunc hoſtem ſuffice tela mihi.

AD IANVM CARD. BELLAIVM Cal. Ianuar.

Ianus adeſt, te Iane refert Bellaius heros:
Vt nomen, numen ſic ferat ille tuum.

Iane

Iane bifrons, augusta patet tibi frontis imago,
Augustus Iano est huic quoque frontis honos.
Hic placidus Ianus, placidæ tu pacis amator,
Tu Deus, est summis proximus iste Deis.
Quæ fuit Ausonio, Gallo est prudentia Iano,
Et Ianum in Iano nunc quoque Roma colit.
Clauiger est Ianus, Iani qui nomine gaudet,
Clauigero Iani munere lætus eat.
Vt nouus à Iano currat fœliciter annus,
Et Iano clauso regnet in orbe quies.

AD SANSEVERINVM.

Quot mihi tu uersus Iani donare calendis
Dignaris, totidem mittimus ecce tibi.
Sunt tibi Dij faciles, dictant tibi carmina Musæ,
Carmina Phœbeis æquiparanda modis.
At mihi nec faciles superi, nec diuite uena
Sponte fluunt Latia carmina ducta lyra.
Qua Siculus quondam lusit, qua Tityrus, illa
Disparibus calamis fistula iuncta tibi est.
Nos malè compactis cantus meditamur auenis,
Gallia quos forsan non probet Ausonia.
Hos tamen indoctos docto pro carmine uersus,
Próque auro à nobis ærea dona feres.
At hi, quos memoras, largo pro munere Diui
Parua etiam capiunt munera ab agricolis.

AD P. RONSARDVM.

Musæ, deliciæ mei sodalis,
Qui me plus oculis suis amabat,
Quem plus ipse oculis meis amabam,
Aut si quicquam oculis mage est amãdum:
Quid causæ esse putem, repente quòd sic
Totus exciderim meo sodali,
Vt cui tot modò miserim libellos,
Is ne uersiculum quidem remittat?
Sic nostri memor est bonus sodalis,
Qui me plus oculis suis amabat,
Quem plus ipse oculis meis amabam,
Aut si quicquam oculis mage est amãdum?
Ast huic, quandoquidem tacere pergit,
Nec sui amplius est memor sodalis,
Ite hæc nomine uos meo referte.
Non iam hos Hendecasyllabos, sed illos
Expectet potius furente Musa
Versus Archilochi seueriores.

IN LAVDEM ANT. CARACIOLI Trecarum Antist.

Quanuis tergeminæ facundo munere linguæ
Antoni, in laudes sis satis ipse tuas,
Te tamen hîc canerem, summi cùm rector olympi
Humano interdum gaudeat ore cani.

Sed

Sed mihi dum ſubeunt curæ, queis priſtinus ardor
Et periit noſtræ gratia prima lyræ,
Protinus horreſco, ſanctáſque attingere laudes
Impuris manibus noſtra Thalia fugit.
Nam procul à ſacris vatem decet eſſe profanum,
Nec temni numen uult Deus ipſe ſuum.

AD EVNDEM IN COMPARATIONEM Iulij III. & Pauli IIII. PP. MM.

Dum bello pacem opponis, placidúmque furenti
Neptunum, & uiduo florida rura sŏlo,
Mars fremit, unda furit, denſatur frigore Tellus,
Pax redit, unda ſilet, ſoluitur acris hyems.
Hæc facis Antoni, Paulum dum opponis Iulo,
Lætáque funeſtis tempora temporibus.
Non alio infamis damnari Iulius ore,
Non alio Paulus debuit ore cani.

AD GORDIVM, VT LAETVS VIVAT.

Iam mea Cygnæis ſparguntur tempora plumis,
Inficit & flauas cana ſenecta comas.
Sic nobis perit ante diem decus omne iuuentæ,
Et faciunt ſeptem luſtra peracta ſenem.
Quis Deus hoc, Gordi? num formam uertit Apollo,
Et Cygnum vatem ſic iubet eſſe ſuum?

Non adeò feruet noſtro ſub pectore Phœbus,
Nec tantum nobis temporis eſt uacui,
Vt liceat dulces Muſarum expromere fœtus,
Et procul à curis ocia longa ſequi.
Quid cauſæ eſt igitur? læti num copia Bacchi,
An potius canum me facit ipſa Venus?
Neutrum horum in cauſa eſt: nam quæ mihi cura Lyæi,
Quæue poteſt miſero blanda placere Venus?
Hoc faciunt curæ, quæ me noctéſque diéſque
Perpetuis angunt ſollicitudinibus.
Hinc mihi canities, Gordi, & properata ſenectus,
Hinc iuueni frontem ruga ſenilis arat.
Viue igitur lætus, ne te quoque noxia cura
Efficiat Cygnum, qui modò Coruus eras.

CONVERSIO SVI IN MONTEM
ad I. Morellium.

Mutari in uarias, ut quondam, corpora formas,
Fabula, Morelli, quæ fuit, hiſtoria eſt.
Iam gelido ſummos imitamur uertice Montes,
Iam cana albeſcunt tempora noſtra niue.
Auribus incluſi magno cum murmure uenti
Auditum eripiunt, colloquiúmque mihi.
Nox oculos infuſa tegit, lacrymoſaque nubes
Perpetuo madidas irrigat imbre genas.
Sanguis abit, gelidúſque tremor quatit horrida membra,
Aſſiduo torpent pectora noſtra gelu.

Colla

Colla rigent, nimióque labat ſub pondere ceruix,
Adde polum, & ſtellas, Cælifer alter ero.

AD IANVM AVANSONIVM.

Dicite Iö Pæan, ueræ uirtutis alumni,
Præmia uirtutis dantur Auanſonio.
Alma fides, quæque æqua pari tenet omnia lance,
Et redeat priſcæ Relligionis honos.
Vos, Muſæ, ante omnes lucem hanc agitate choreis,
Et uiridi ſacras cingite fronde comas.
Hunc feſtum celebrate diem: ſunt & ſua Muſis,
Si ſua ſunt magno præmia Auanſonio.

IN NATALEM CHRISTI.

Nocti clara dies, cedat lux alma tenebris,
Tu quoque iam, Cælum, cedere diſce sölo.
Ennouus exoritur Phœbus: Regémque ſequuta
Labitur in terras Regia celſa poli.
Cedat Idumeis Latialis laurea palmis,
Summittátque iugo Roma ſuperba caput.
Ecce triumphato uictrix Clementia Mundo
Erigit inuicta parta trophæa manu.
Paſtorum turbis cedant longa agmina Regum,
Et cedant paruis tecta ſuperba caſis.
Paſtores natum inueniunt ſub paupere tecto,
Sub cuius pedibus terra, fretúmque iacent.

Miretur Natura parens, cauſáſque requirat,
Et ſummi agnoſcat facta ſtupenda Dei.
Virginei tumuere ſinus, uteróque pudico
Concipiunt hominem, parturiúntque Deum.
Aeternùm lateant clauſo ſub carcere Diræ,
Et ſtupeat nigra triſtis Auernus aqua.
Ecce noua inuictæ nectuntur uincula Morti,
Ecce ſuas tandem perdidit Orcus opes.
Ergo polus regem, uictorem Tartarus ingens,
Authorem agnoſcant cuncta elementa ſuum.

IN NIMIVM LAVDATOREM.

Ob iſtas mihi quas & uſque & uſque
Multis verſibus & laborioſis
Laudes attribuis uel immerenti,
Gratias tibi maximas, Fabulle,
Non multis nimium, aut laborioſis
Ago uerſiculis: referre certè
Haud queam, niſi plura uel merenti
Laudes ipſe tibi tuas remittam.

IN AVLVM.

Dum cupidus famæ laudem captabat inanem,
Pro nihilo ſummas Aulus habebat opes.
Idem nunc opibus laudem poſtponit auarus:
Nec retulit laudem, nec feret Aulus opes.

AD GORDIVM.

Illa marmorea puella fronte,
Ore purpureo, aureis capillis,
Sinu lacteolo: illa nuper inquam,
Nobis pulchrior omnibus puellis,
Nobis charior omnibus puellis,
Dum se in quadriuiis, & angiportis
Passim prostituit, uenuste Gordi,
Gemellos modò repperit misella
Ficos inguinibus suis tumentes.

MVSAM ALLOQVITVR.

Cùm Latias urbes hostis populetur, & agros,
Perturbétque omnem Mars ferus Ausoniam,
Cùm suspecta fides magnis terroribus Vrbem
Impleat, & trepidos cogat ad arma Duces,
Non te, Musa, pudet mediis in faucibus Orci
Intempestiuos ludere versiculos?
Quin potius clypeo, fidóque accingeris ense,
Et ualida torques spicula missa manu?
Non istas arteis poscunt hæc tempora, nec sic
Depelles iugulo tela cruenta meo.
Quid mihi cum bello (dices) quod pectus ad arma?
Non cadit in mites tam grauis ira Deas.
Bella gerant, queis bella placent: mihi carmina curæ,
Et nemora, & fonteis, & leue murmur aquæ.

Tu uerò, quem tanta mouent incendia belli,
De pauido uanos excute corde metus.
Carminibus confide bonis, te noſtra tuetur
Laurea, ſunt aliis bella timenda viris.
Verum, ni Siculum miles, dum bella geruntur,
Intentum radio cæderet artificem.

IN FONTEM IVLII. III. P. M.

Cur has pampineis iugis Iulus
Fontis Virginei Deas ſacrarit,
Hoſpes ſcire cupis? ferunt Lyæum
Ignibus patriis adhuc rubentem
Nymphas culmina montium colentes
Hoc pellucidulo abluiſſe fonte.

IN MINERVAM ARGENTEAM
à S. P. Q. Tholoſano Petro Ronſardo ludis
Floralibus decretam, & poſteà ab ipſo
Ronſardo Herrico Regi Chriſtianiſs. dicatam.

Abſenti, neque tale quid petenti,
Sed toto Aonidum probante cœtu,
Doctus Palladiæ chorus Tholoſæ
Perpulchram tibi detulit Mineruæ,
Ronſarde, effigiem, & quidem merenti:
Nam ſi pro merito æſtimare quenque

Fas est, cui potius Minerua detur,
Quàm cui in pectore tota sit Minerua?
Tu uerò ingenuo pudore tantum
Decerni tibi non ferens honorem,
Sed malens propria locare sede
Sacrum Palladium, pius sacerdos
Regi Pallada ritè dedicasti,
Sub quo Palladij uigent honores.

ALIVD.

Grata tuis studiis nuper studiosa Tholosa,
Sub qua Palladiæ nunc uiget artis honos,
Argento è nitido spirantia Palladis ora
Carminibus posuit, magne poëta, tuis.
Tu uerò hæc Regis iussisti tecta subire,
Pallada qui solus nouit utrãque simul.

ALIVD.

Tholosa ingenua, & Tholosa uerè,
Tam bellam tibi quæ dedit Mineruam.
Tu quoque ingenuus, tibi datam qui
Regi Pallada maximo dedisti.
Nunc suo posita est loco Minerua:
Quid Princeps tibi maximus rependet?

AD HERRICVM REG. CHRISTIA-
niss. in eandem sententiam.

Vilius argentum est auro, virtute minora
Carmina, magnanimo Rege poëta minor.

Sed tu, quem fas est, Rex ô ter maxime Regum,
Vel paruis meritis præmia larga dare,
Quæ tibi Ronsardus vates argentea misit,
Aurea Ronsardo dona remitte tuo.
Aurea nanque decet solum dare munera Regem,
Qui solus nobis aurea secla dedit.

AD P. RONSARDVM.

Cur Ronsarde, nouo, atque inusitato
Decreto tibi nobilis Tholosa
Cælatam modò detulit Mineruam?
Vt qui scilicet usitata Gallis
Sic uestigia linquit, ut Pelasgûm
Primus detegat abditos recessus,
Is nouo quoque munere augeatur.
At cur iudicio graui Senatus
Decreta est potius tibi Minerua,
Quàm Phœbus fidicen, nepós ue Atlantis,
Aut una Aonidum è choro sororum?
Vt te non modò versibus sonoris
Cantus edere (quod solent inepti)
Sed constet potius tuis inesse
Doctis uersibus, & laboriosis,
Rerum multiplicem eruditionem.
Cur uerò tibi candido ex metallo
Hæc facta est Dea? nempe quod poëta
Purus, candidus, omnibus poëtis

Præstes

Præstes ingenuo tuo nitore,
Candore ut proprio, nec aduocato
Argentum solet omnibus metallis.

AD EVNDEM.

Strinxerat in sæuos quòd fortiter arma Tyrannos
Alcæus vates, aurea plectra tulit.
At quòd Barbaries nostris te uindice tectis
Exulet, hôc posita est docta Minerua tibi.

IN NVPTIAS I. MOMMORANTII, & Dianæ Herrici Gallorum Regis filiæ.

Qua iuncta est tibi nocte, Mommoranti,
Nostri progenies Iouis Diana,
Ocellus patris, ipsiúsque vultum,
Et mores referens, pudica, bella,
Prorsus ut similem putes Dianæ,
Aut ipsam potius putes Dianam,
Non ex fomite natus, aut lucerna,
(Si qua sit famulis fides) sed alto
E cælo ut rutilus cadens Comætes
Sulcos tramite longiore ducit,
Dum sopita tuis iacet lacertis
Coniux, per speculas polo sereno,
Igneus radius repente luxit,
Omnes qui thalami angulos pererrans,

Vittas, lintea, cæteráſque tandem,
Noctis munditias edax uorauit.
Tu uerò, ô iuuenum decus, patríſque
Magni nomine digne Mommoranti,
Infœlix aliquid fuge augurari,
Sed ipſum potius tuis putato
Nuptiis Hymenæon adfuiſſe:
Qui tædam quatiens, tuæ peruſſit
Fauſto coniugis igne νυκτικοσμον.
At cur ſic Deus hic tuæ peruſſit
Fauſto coniugis igne νυκτικοσμον?
Vt tu ſcilicet hanc ſcias mariti
Oblitam ueteris, tuis peruri
Iam ſolùm facibus, tuíſque flammis.

AD D. MARGARITAM REGIS Chriſtianiſs. ſororem unicam.

Clauſus corporeo miſer ſub Orco,
(Orcus ille fuit diu carere
Sole Diua tuo, tuáque luce)
Cæco in carcere quattuor per annos
Pœnas perſoluï omnium malorum,
Quæ mentes ſibi contrahunt miſellæ
Mole ex corporea, ſuíſque membris.
At nunc carcere tam graui ſolutus,
Sole Diua tuo, tuáque luce,
Solo igne ætherio mihi relicto,

Pondus

Pondus corporeum diu peruſtus
Tandem depoſui Deis benignis.
Sic nunc Elyſio fruor beato
Tuis auſpiciis, fruárque ſemper,
Nec mens ulla mihi hinc ſit exeundi.
At tu, ne Elyſio ſub amne merſus
Sopitus iaceam, memento vatis
Quæſo Diua tui, prioris æui
Amor ne redeat, uelitque rurſus
Claudi corporeo miſer ſub Orco.

AD MARIAM HAYAM.

Quid ſim, quid fuerim, quid egerimue
Ex quo, Dîa, tuis frui camœnis,
Scriptis, ingenio, eruditione,
Lepôre, intuitu, alloquutione
Crudeles ſuperi inuidere nobis,
Ipſe tam memini, ſopore preſſus
Quàm ſi, uel nimio grauis Lyæo,
Aut forem Elyſio ſub amne merſus.
Hoc tantùm memini: nihil fuiſſe
Me, præter lapidem, grauémque truncum,
Aut ſi his quid grauius, trucem, ſeuerum,
Et linguem, ſtupidum, Trophonî ut olim
Ex antro attonitos ferunt rediſſe.
Nec mirum, ipſa mihi tuis ocellis,
Forma, atque ingenio elegantiore,

Cùm ſenſus animúmque ſurpuiſſes.
Et cui ſidereis tuis ocellis,
Forma, atque ingenio elegantiore
Non ſenſus, animúmque ſurpuiſſes?
Quare ſi quid adhuc tui (quod opto)
Bellai memor es, cupíſque ſcire
Quid ſit, quid fuerit, quid egerit ue
Tot annos Latio in sŏlo, mihi me
Redde. reddideris, modò huc reuerſo
Site, quo ſolita es lepôre, vultu,
Scriptis, uerſiculis, uenuſtuliſque
Iocis, & ſalibus, facetiiſque
Iam iam reddideris mihi benignam.

IN POETAM DECOCTOREM.

Egregium, Mæui, quis te neget eſſe poëtam,
Atque adeò antiquis vatibus eſſe parem?
Struxiſſe Amphion Thebanas dicitur arceis,
Dum mouet argutæ plectra ſonora Lyræ.
At tu dum fidibus ſedes poſtponis auitas,
Verſibus euertis tecta paterna tuis.

IN EVNDEM.

Dum canit Eurydicem, ſyluæq; & ſaxa ſequuntur,
Detinet immaneis Thracius ipſe feras.
At tu dum horriſonis ſyluas concentibus imples,
Attonitæ fugiunt in ſua luſtra feræ.

IN

IN FVTVRAS NVPTIAS FRANciſci Gall. Delphini, & Mariæ Stuartæ Scotorũ Reginæ.

Raptus Tyndaridis parùm pudicæ
Ob formam, & faciem nimis uenuſtam,
Europam, atque Aſiam decem per annos
Collisit nimiùm graui duello.
Caſtus Scottidis at torus puellæ,
Qua nec pulchrior eſt, pudiciórque,
Qua nec candidior, benigniórque
Aut eſt, aut fuit, aut erit puella,
Gallum belligerum, ac ferum Britannum
Bellis tam grauibus diu æſtuantes
Iiſdem ſub titulis, Deo ſub uno,
Vno ſub duce, legibus ſub iiſdem
Pace perpetua iugabit olim.
O ter coniugium, quatérque fœlix!
O lætam populi hinc, & inde ſortem!
O pulchram, & lepidam, & piam puellam!

DE CALETO RECEPTA.

Quæ nulli tentata prius iam tuta manebant,
Illa tuus cepit mœnia Guiſiades.
Mœnia Guiſiades, fruſtrà ſeruata tot annos
Cepit, conſiliis ſed, Lotarene, tuis.
Sic malè ab inſomni quondam ſeruata Dracone
Amphitryoniades aurea mala tulit.

IOCVS IN BRITANNOS.

Gallica (quis credat?) ſurgunt iam tecta Caleti,
Exultátque ſuis Gallia littoribus.
Comprimit Oceanus metuendos claſſe Britannos.
Diuiſus toto iam orbe Britannus erit.

IN REDITVM DVCIS GVISIANI.

Vt quondam in patriam retulit cùm ſigna Camillus,
Spectandum niueis ſe dedit altus equis,
Guiſius è domitis nuper ſic ipſe Britannis
Signa refert, niueo ſic quoque uectus equo.
Aequo præda Duci prædæ melioris auaro
Albus ceſſit equus: cætera miles habet.
Hæc ille ex capto retulit ſpolia ampla Caleto,
Hanc prædam uicto uictor ab hoſte tulit.
At non parua tulit virtutis præmia, uictor
Hoſtis qui rediit, uictor & ipſe ſui.
Multorum præda eſt, miles quam quiſque reportat:
Vnius eſt magni præda ſed iſta Ducis.

IN LAVDEM EIVSDEM.

Cùm bellis attrita diu, propè ciuibus orba,
Roma foret Libyæ iam ſubitura iugum,
Indomitum Annibalem tum primùm poſſe domari
Marcellus docuit, ſpémque animúmque dedit.
Cùm toties olim uictorem experta Britannum
Gallia ab Oceano iam malè tuta foret:

Guiſius

Guiſius auſpiciis nuper melioribus uſus,
Galle, tuas urbeis dum tibi reſtituit,
Indomitos docuit ſuperari poſſe Britannos,
Atque inuicta prius mœnia poſſe capi.

IN EVNDEM ET CARD. Lotarenum fratrem.

Qui Martem ſpectare cupis fera bella mouentem
Turbidus auriferis quà fluit Hebrus aquis,
Aſpice Guiſiadem hoſtili de cæde cruentum:
Guiſiadem Marti dixeris eſſe parem.
At qui noſſe cupis Maia genitrice creatum,
Demiſſum magni numen ab arce Iouis,
Aſpice purpurei columénque, decúſque galeri:
Mercurio ſimilis tunc Lotarenus erit.
Ille potens dextra, facundo hic munere linguæ:
His geminis tuta eſt Gallia numinibus.
His ergo auſpiciis ſume, Herrice, orbis habenas,
Et magnum in terris æquiparato Iouem.

DE COMITE ALCINOO puellam pingente.

Alcinoum Comitem formoſa puella rogabat
Vt ſe depictá duceret in tabula.
Vt ualeam quod poſcis (ait) mihi tota uidenda es,
Præbenda eſt oculis nudáque forma meis.
Spectabat nudas Zeuxis ſic ipſe puellas,
Dum pingit vultus, pulchra Lacæna, tuos.

Abnuit hoc primùm vultu pudibunda puella,
Sed deſiderio ceſſit ut ipſe pudor,
Corpore nudato candentia pectora pandit,
Membráque uel prima candidiora niue.
Talem ſe Paridi nemoroſæ in uallibus Idæ
Spectandam (ut perhibent) præbuit alma Venus.
At cupidus pictor dum neruos explicat artis,
Nec potis eſt dextram tollere de tabula,
Protinus ex magno Lyſippus factus Apelle,
Spirantem fecit pro tabula ſtatuam.

AD IANVM AVRATVM.

Aurate, Aoniæ decus cateruæ,
Aurate, aureolis tuis camœnis
Nobis aurea ſecla qui reducis,
Putabam ipſe quoque, id quod & putabat
Ilio, & pelago miſer tot annos
Vlyſſes Ithaca è ſua reuulſus,
Dulce ſcilicet eſſe uel fauillam
Fumantis patrij foci uidere.
Gaudebam, atque mihi ipſe gratulabar,
Circes pocula, munera & Calypſus,
Sirenum inſidias, trucem Charybdim,
Fauces Antiphatis, domóſque diras
Cyclopum potuiſſe præterire.
Sed (ô ſpes hominum leues!) reuerſum
Per tot heu pelagi æſtuantis undas,
Per tot flumina, ſaxeáſque rupes,

Per

Per tot aërias niues, proterui
Edunt mille proci: procos uocare
Si curas liceat, maláſque lites,
Quæ noſtrum malè corculum perurunt,
Quæ noſtras penitus uorant medullas.
His, Aurate, malis premor miſellus,
Hæc Aurate, meam domum frequentat
Turba, ſic patrios lares reuiſo.
Si altem ſi qua mihi domi pudica
Foret Penelope, piúſque Natus,
Longæuus genitor, ſagáxque nutrix,
Qui læti excíperent, piiſque feſſum
Fouerent manibus, nihil ſed horum
Repertum mihi: ne uetus quidem me
Agnouit dominum canis. quid ultra?
Iam ſpes nulla mihi, mihi ſalutis
Nulla iam miſero uia indicatur:
Ni quem, Aurate, tibi dedere Muſæ
Arcum mi dederis, malos necare
Procos quî ualeam potente dextra.

DE CAMILLA IANI Morelli F.

Patris delicias ſui Camillam,
Quam finxit manibus ſuis Dione,
Quam ſinu Charites ſuo educarunt,
Auget quæ numerum nouem ſororum,

A mat plus oculis ſuis Morellus,
S eu quid plus oculis pote eſt amari.
M orello ſimilis ſuo Camilla
S ic eſt, tam ſimile haud ſit ouum ut ouo.
I llam moribus imbuit pudicis
M ater, ſicque ſuam excolit Camillam,
V t florem tenerum excolunt puellæ.
S ic ludit Latiis modis Camilla,
C amillam ut Latij putes alumnam.
S ic græcè loquitur Camilla, iures
V t ipſas minus Atticas Athenas.
E bræas quoque litteras Camilla
T am pingit bene, quàm ſuas Latini.
S ic uerſus patrios facit Camilla,
R onſardus queat inuidere ut ipſe.
S ic canit fidibus Camilla, ut ipſe
C amillæ queat inuidere Phœbus.
E t uix (quod ſtupeas) uidet Camilla,
V idet uix decimam Camilla meſſem.

ALIVD DE CAMILLA, LVCRETIA, & Anna, Morellis, Iani Morelli FF. incerti auctoris.

Τρεῖς ποτ' ἦσαν Χάριτες κοῦραι Διὸς, ἄνθις ἔσονται
Τρεῖς πάλιν, οὐχὶ παιδὸς κοῦραι Διὸς, ἀλλὰ Μορέλλου.

IDEM LATINE, FERE AD verbum expreſſum.

T res fuerant quondam Charites, Iouis inclyta proles,

Tres

Tres iterum Charites naſcentur, non Iouis illæ
Progenies, docti ſed docta propago Morelli.

AD ILLVSTRISS. CARD. Lotaringum.

Sutori ſutrina ſuo cùm alimenta miniſtret,
Certáque ſint arti præmia cuique ſua,
Quî fit ut una ſuo ſit Mùſa ingrata poëtæ,
Et ſemper vates ſors inimica premat?
Scilicet eſt aliquod miſeris malè numen amicum,
Nec vates æquis aſtra uident oculis.
At tu, qui cunctos præclaris artibus anteis,
Cuique adeò ſoli numina, & aſtra fauent,
Hæc mihi concilia. tunc mi, tunc (Carole) Diuis,
Sideribúſque ipſis tu mihi maior eris.

IN OLLVM VASCONEM.

Viuere cùm ſcribis, primam malè corripis, Olle,
Viuere ſed cùm effers, corripis, Olle, bene.
Scilicet hoc linguæ maternus poſtulat uſus,
Haúdque tui norunt uiuere, ſed bibere.
Sic bibis, & uiuis, uerbo facundus eodem,
Hácque malos uerſus efficis arte bonos.

IN EVNDEM.

Ni ueteres illos ſuperares, Olle, poëtas,
Debebas laqueo protinus ipſe animam.

Ecce tamen scribis, tutúsque poëmata pangis:
Euge, Olle, à laqueo iam nihil inde times.

EPIGRAM. FINIS.

AD GORDIVM.

Cui donem potius nouum libellum,
Quo raptum refero meæ puellæ,
Gordi, quàm tibi, qui meam puellam
Sic amas, propriam ut putes sororem?
Quare quicquid id est noui libelli,
Gordi, quod tibi nunc damus legendum,
Sic uelim accipias, scias ut illam
A me plus oculis meis amatam,
Et te plus oculis meis amatum.

IOACH. BELLAII
AND. AMORES.

AD VENEREM.

BElla per Aemathios non hîc ciuilia campos,
Fraternas acies, arma uirúmque cano.
Nec quoq; fert animus mutatas dicere formas,
Raptoris ſtygij nec memorantur equi.
Aeneadũ genitrix cauſa eſt mihi carminis una:
Materiam vati da Venus alma tuo.
Tu quoque Fauſtinam nobis, formoſa, dediſti:
Qua nihil eſt tota pulchrius Auſonia.
Hac mihi ſublata, periit mihi priſtinus ardor,
Et quicquid mentis, uel fuit ingenij.
Redde ergo ingenium, ſolitáſque in carmina uires,
Fauſtinam potius ſed mihi redde, precor.

RAPTVS FAVSTINAE.

Qualis tartareo quondam Proſerpina curru,
Dum uaga diſcurrit ſaltibus (Enna) tuis,
Nocturnis nuper rapta eſt Fauſtina quadrigis,
Dum tenet, ah demens, limina aperta domus.

Rapta est, me miserum, & cœco sub carcere clausa
Coniugis ingrato nunc gemit in thalamo.
Et nunc ille ferus tanquam de virgine rapta
Exultat, nostris heu fruitúrque malis.
Interea infœlix mater lymphata per urbem
Currit, & ignotas excubat ante fores.
Te solam (Faustina) uocans, tua limina quærens,
Quæsisse ut natam dicitur alma Ceres.
At ego, quem assiduo torret malus igne Cupido,
Deferor, ut noto concita Baccha Deo.
Nec dubitem æratos liceat si rumpere postes,
Duráque nocturna soluere claustra manu,
Irruere armatus: uel si hoc mala nostra ferat sors,
Perferre audacis uincula Pirithoi.

FAVSTINAM PRIMAM FVISSE *quam Romæ adamauerit.*

Ipse tuas nuper temnebam, Roma, puellas:
Nulláque erat tanto de grege bella mihi.
Et iam quarta Ceres capiti noua serta parabat,
Nec dederam sæuo colla superba iugo.
Risit cœcus Amor. Tu uerò hanc, inquit, amato:
Faustinam nobis indicat ille simul.
Indicat, & uolucrem neruo stridente sagittam
Infixit nobis corda sub ima puer.
Nec satis hoc. tradit formosam in uincla puellam,
Et sacræ cogit claustra subire domus.

Haud

Haud prius illa tamen nobis erepta fuit, quàm
Venit in amplexus térque quatérque meos.
Scilicet hoc Cypris nos acrius urit, & ipſe
Altius in noſtro pectore regnat Amor.

AD IANVAM FAVSTINAE.

Hæc domus hæc illa eſt, noſtros quæ claudit amores:
Ah nimis, atque nimis ianua dura mihi.
Tu veneres ingrata meas, luſúſque, iocóſque,
Tu cohibes uinclis gaudia noſtra tuis.
At nunc ille ſenex forſan roſea illa labella
Sugit, & amplexu mollia membra premit.
Interea uagus, atque excors, ſine mente animóque,
Limina nocturnis nota tero pedibus.
Et circunſpicio Lyncæo lumine, ſi qua
Rimula ſit noſtris fortè patens oculis.
Nulla patet, uel ſi qua patet, ſunt omnia muta,
Vocibus ac noſtris peruia nulla uia eſt.
Hei mihi quòd Dominæ nulla ratione potis ſum,
Me dulce in gremium mittere per tegulas.

SE PERPETVO FAVSTINAE *memorem futurum.*

Quod ſcelus admiſi infœlix? quæ numina læſi,
Vt mihi ſic, mea lux, eripienda fores?
Nam cui tam ſubitò tot gaudia ſunt prærepta,
Iratos omnes huic decet eſſe Deos.

Ergo ego te posthac nunquam, mea uita, uidebo?
Audiero absentis nec tua uerba miser?
At certè infixi nostro sub pectore uultus,
Fixáque perpetuò uerba loquentis erunt.
Hoc mihi non Superi abstulerint, non Iuppiter ipse,
Non, si me toto fulmine deiiciat.

DE VVLCANO ET MARITO Faustinæ.

Vt Martem, & Venerem uinclis excepit, & astu
Mulciber, & Cœlo fabula nota fuit:
Sic tu ex insidiis Faustinam surripuisti,
Scilicet ut tota notus in vrbe fores.
At cur non astu simili, similique catena
Me, me etiam uinctum maxima Roma uidet?
Sic te ulcisci ambos, coniux generose, decebat:
Hoc demum pateras Mulciber esse modo.

CVR SIT IRATVS MARITO Faustinæ.

Non te ideo (ne fortè aliquis nos dicat ineptos)
Damnamus nostris, impie, uersiculis,
Quòd tu Faustinam nuper de nocte silenti
Materno sæuus traxeris è gremio:
Quódque illi miserę, & duro sub carcere clausæ,
Omnia crudelis gaudia sustuleris.

Nouimus

Nouimus & leges, & quæ ſint iura mariti,
Nec uenit ex uero noſtra querela toro:
Sed quòd frigidulus coniux, turpíſque, ſenéxque
(Ne quicquam de te durius ipſe loquar)
Tam bellam, & lepidam, tali nec coniuge dignam,
Externi cogas iura ſubire tori:
Hoc inquam eſt, ſæuum quod te facit, improbe, quódque
Damnamus noſtris, impie, uerſiculis.

CVM FAVSTINA INCLVSAM ESSE Venerem, & Amorem.

Claſtra tenêt noſtram (ſic Dij uoluere) puellam:
Fœlix quem clauſum ferrea claſtra tenent.
Illic ſunt Charites, luſúſque, iocíque, lepôréſque,
Et quicquid ſedes incolit Idalias.
Caſta Venus ſancto corpus iam uelet amictu,
Sacráque iam diſcat relligioſus Amor.

OPTAT SE INCLVSVM cum Fauſtina.

O mihi ſi liceat furtiuos iungere amores,
Hîc ubi, me miſerum, clauſa puella mea eſt:
Mentirique nouam mutata ueſte figuram,
Iuppiter ut quondam caſta Diana fuit:
Quàm bene uirgineo tectus uelamine corpus
Perferrem ſancti iura ſeuera loci!

Nulla Deis melius faceret ſolennia ſacra,
Alternas melius conciperét ue preces.
Rurſus cùm tacita peteretur nocte cubile,
Et foret optati reddita forma uiri,
Haud quiſquam melior ualidam exercere iuuentam,
Nocturníſque ſacris conciliare Deos.
Sic gratis uicibus Veſtæ, Veneríſque ſacerdos,
Nocte parùm caſtus, luce pudica forem.

CVR VESTALIBVS INNATI SINT uelut quidam amoris igniculi.

Aeternum extingui Veſtæ in penetralibus ignem
Romulidûm quondam relligio uetuit.
Virginibus ſacris noſtros hinc manſit in annos,
Pectora ut æternis ignibus urat Amor.
Dij faxint, mea uita, tuos hic creſcat in ignes
Ignis, & ut noſtri ſis memor uſque precor.

IN DVRVM IANITOREM.

Ferrea iam noſtras admittunt clauſtra querelas,
E' noſtris lacrymis duráque ſaxa gemunt,
At tu crudelis nimiùm, ſæuúſque ſacerdos
Durior & ferro, durior & ſcopulis,
Nec fletu aſſiduo, precibus nec flecteris ullis,
Quas fruſtrà ingratas ſpargimus ante fores.
Sed toruùm aſpiciens rabida nos uoce repellis,
Et procul à ſacris ſedibus eſſe iubes.

Te tamen Ismarij demulsum carmine vatis,
Dum canit infernas flebilis ante domos,
Auribus arrectis, & mota (Cerbere) cauda
Tergeminas fauces continuisse ferunt.
Tum primùm memorant Manes, sæuásque Sorores,
Et Ditem lacrymis ingemuisse piis
Nempe illum cæci penetrarat cuspide teli,
Qui nostra immitis pectora læsit amor.
Tu uerò, immanis cedit cui ianitor Orci,
Cui cedunt tortis anguibus Eumenides,
Fluctibus Iöniis, & littore surdior omni
Auersus nostras despicis usque preces.
Scilicet humanos rides, sæuissime, luctus:
Et speras precibus posse mouere Deos?

CVM FAVSTINA OMNIA sibi esse erepta.

Tu Veneri veneres, cæco tu spicula Amori,
Mercurio linguæ munera surpueras.
At quite, mea lux, mea spes, mea uita, meum cor,
Inuidus ah nostris abstulit ex oculis,
Ille oculos, sensusq; omnes, mentémque, animúmque,
Atque adeò totum me mihi surripuit.

PANDORAE NOMEN APTIVS fuisse Faustinæ.

Qui tibi Faustinæ, mea lux, nomen dedit, is te
Dixisset Pandoram aptius, & melius.

Munera nanque Deos in te omnia congeſsiſſe
Oſtendunt dotes corporis, atque animi.
Et tu etiam ex oculis, tanquam de pixide aperta,
Omnia depromis ſeu bona, ſiue mala.
At mihi te erepta, mi qua ſine uiuere durum eſt,
Spes, ô me miſerum, nulla mihi remanet.

COGNOMEN FAVSTINAE.

At tibi, ſi memini, nomen gentile Columba
Conueniens formæ eſt, ingenióque tuo.
Laudantur niueo mites candore Columbæ,
Et tibi ſub niueo pectore candor ineſt.
Quid luſus, mea uita, tuos, quid murmura blanda
Quid referam noti nequitias thalami?
Tu tenero morſus figebas dente proterua,
Atque columbatim baſia longa dabas.
Hei mihi quis raptor, credo Ioue miſſus ab ipſo,
Te noſtro auulſit chara Columba ſinu?
Te malus accipiter captam tenet unguibus uncis,
Et tua crudelis uiſcera dilaniat.
I nunc, dic Veneri ſacratas eſſe Columbas,
Si tam, me miſerum, bella Columba perit.

FAVSTINAE VELVT QVODDAM ineſſe Amoris numen.

Per te, oculóſque tuos, nuper (mea Diua) ſine arcu,
Et uacua errabat cæcus Amor pharetra.

His

His iaculis armata Deos, hominésque, feráſque
Cogebas ſæui iura ſub imperij.
Non ſenibus grauitas morum, non profuit uſus,
Nec iuuit tardo in corpore ſanguis iners.
Non Sophiæ ſtudium doctos, non purpura Patres,
Nec clypeus texit fortia corda Ducum.
Omnia ceſſerunt: ceßit quoque publica cura,
Et poſuit virtus triſte ſupercilium.
At nunc proh Superi, captiuo numine Amoris,
Nil niſi trux Mauors, & fera bella placent.

QVANTA SIT VIS AMORIS *in Fauſtina.*

Inter ſe potuit ſanctos committere Patres
Fauſtina, uſque adeò forma ſuperba fuit.
Et quiſquam iuuenes furiis miratur iiſdem
Accendi, & ſæuo bella parare uiro?
Qui talem, heu facinus, clauſtris cohibere puellam
Suſtinet, & noſtras deſpicit uſque minas.
Sola decennali fuit hæc repetenda duello,
Debuit hanc ſolus nam rapuiſſe Paris.

QVOMODO RAPTA *fuerit Fauſtina.*

Cùm te crudelis nuper nil tale merentem
Materno coniux uelleret è gremio,
Tendentémque manus traheret, paßíſq; capillis,
Quid tibi tunc ſenſus, quid tibi mentis erat?

Fama est flebilibus mœstam te vlulasse querelis,
Sæpius & nomen congeminasse meum.
Et nunc crudelem demissa uoce maritum,
Nunc matrem lacrymis sollicitasse piis.
Stat ferus ille tamen, spernítque precantia uerba,
Verba uel immanes apta mouere feras.
Hei mihi cur mœstis cùm impleres questibus urbem,
Non potui infœlix obuius esse tibi!
Haud secus atque olim furiata mente Corœbus,
Cassandram cùm Aiax impius extraheret,
Tunc me iniecissem medium moriturus in agmen,
Nullâque mors toto notior orbe foret.

AD MILITES GALLOS, CVM AD BELLVM Neapolitanum proficiscerentur.

Quos chara è patria auulsos, & dulcibus aruis
Sæuus amor belli misit in Hesperiam,
Pergite fœlices, fatisque uocantibus ite,
Quò uos ipsa uocat Gallica Parthenope.
Illic, si quid erit uobis virtutis auitæ,
Et tanget patrij pectora Martis amor,
Tot frustrà repetita Ducum infœlicibus armis
Procumbent uestra mœnia capta manu.
Tunc Siculum scelus ulciscì, patriisque sepulchris
Soluere Achillæas inferias dabitur.
At ego qui Veneris miles, Martémque perosus
Haud animo tantum concipio facinus,

Soluere

Soluere tentabo captiuæ uincla puellæ,
Quæ mihi longè ipſis charior eſt oculis.
Hæc repetenda mihi tellus eſt uindice dextra,
Hoc bellum, hæc uirtus, hæc mea Parthenope.

AD POLYDORVM DE FAVSTINA.

Docte, quem primùm Polydore nobis
Præpotens iunxit nemorum Diana,
Vinculo ſed mox propiore uinxit
Innuba Pallas:
Me fluens humor cerebro malignus,
Febris atque ardens, & anhela tuſsis
Iam decem totis retinet diebus
Membra trahentem.
Non mihi dulcis latices Lyæi,
Sed ſitim ſedant medicata noſtram
Pocula, atque imas penitus perurit
Flamma medullas.
Auget hunc ignem Veneris fauilla,
Et Puer ſæuo metuendus arcu,
Noſtra qui durus grauiore fixit
Pectora telo.
Me ſuis urit facibus puella,
Quam ferus clauſam retinet maritus,
Dum ſuæ raptum metuit rapinæ,
Noſtráque tela.
Et quis in tali timidus puella

Non foret, qualem (Polydore) magna
Antè nec uidit, puto, nec uidebit
Roma puellam?
Siue nigrantes oculos, comásque,
Frontis aut latæ niueum nitorem,
Seu genas ſpectes roſeas, roſisque
Picta labella.
Seu magis tractes geminas papillas,
Quas ſuis fecit manibus Cupido,
Quæque non una tulimus beati
Gaudia nocte.
Dum fouet molli tepidum lacerto,
Dum leui murmur ciet & ſuſurro,
Dum micat lingua, & uarias per artes
Improba ludit.
Hanc locus ſemper comitatur, ipſi
Alites circumuolitant Amores,
Gratia, & Luſus, Veneriſque ſemper
Turba miniſtrat.
Hæc meos febris populatur artus,
Hic meas ignis furit in medullas,
Sæuus ut latè furit in patentes
Sirius agros.
Hanc iuuat tota, Polydore, Roma
Perſequi raptam medios per ignes,
Quę decem digna eſt repeti per annos
Vindice dextra.

SOMNIVM.

Nox erat, & placidum carpebant cuncta ſoporem,
Cùm Puer in ſomnis uiſus adeſſe mihi.
Arcum læua tenet, tenet aurea ſpicula dextra,
Candenti ex humero picta pharetra ſonat.
Ille meos cernens uigili ſub mente dolores,
Luminá que è lacrymis turgida facta meis,
Vltrò me timidum uerbis compellat amicis,
Atque meas lacrymas ſic miſeratus, ait:
Parce tuum, iuuenis, conſumere luctibus æuum,
Et noſtra toties de leuitate queri.
Quæ tibi non noſtra, ſed ſæui fraude mariti
Rapta eſt, illa tibi reſtituenda uenit.
Quid me, ſæue Puer, deceptum fraude maligna,
Tu quoque nunc falſis ludis imaginibus?
Si cupis ut credam, ſtygias teſtare paludes,
Aut aliquo dubiam pignore ſtringe fidem.
Sume, ait, & pictis pennam detraxit ab alis,
Certior ut ſias hoc tibi pignus erit.
Sed quid ab hoc tandem ſperandum pignore certi,
Firmatura fidem ſi mihi penna datur?

VOTVM AD VENEREM.

Si per te alma Venus, rerúmq; hominúmq; creatrix,
Qua ſine nil animis, corporibúſque placet,
Sidereis Fauſtinæ oculis, uerbíſque fruiſci,
Et liceat noto reddere membra toro,

Non tibi candenti ſtabunt de marmore templa,
Hoſtia nec ſanctos corruet ante focos.
Purpurei ſedenim flores, uiolæq;, roſæque,
Párq; columbarum, Diua, tibi dabitur.
Suſpenſáque tibi ſoluentur uota tabella,
Omnibus & ſeclis charta loquetur anus:
Amiſſam mihi te Fauſtinam reſtituiſſe,
Hoc eſt ipſum me reſtituiſſe mihi.

VOTI SOLVTIO.

Iam mihi mea reddita eſt Columba,
Vos triſtes elegi ualete longùm.
At uos molliculi uenite uerſus,
Dum cano reditum meæ Columbæ,
Quam plus ipſe oculis meis amabam,
Cuius baſia, blandulúmque murmur,
Luſus, nequitiæ proteruiores,
Et morſus poterant, micante roſtro,
Ipſum uincere paſſerem Catulli.
Nam mellita fuit, uenuſta, bella,
Pulchra, candidula, atque delicata:
Nil mage ut queat eſſe delicatum,
Mellitum magis, aut magis uenuſtum.
Vt uobis malè ſit, mali Cinædi,
Fures improbuli, inuenuſtulique,
Qui talem mihi tam diu abſtuliſtis
Pulchram, candidulã, meam Columbam.
At uos, hendecaſyllabi frequentes,

Verſus

Versus molliculi, uenustulique,
A deste huc, precor: & quot estis omnes,
Formosæ Veneri, bonisque Diuis
Votum soluite pro mea Columba.

BASIA FAVSTINAE.

Cùm tu ad basia nostra sic reflectis
Ceruicem niueam, Columba, pæti
Molle ut nescio quid natent ocelli,
Præ desiderio mihi liquescit
Ipsa penè anima, in tuúmque sensim
Prorsus exanimis sinum relabor.
Admotis sed ubi hinc, & hinc labellis,
Vdo tramite mutuùm recursant
Linguæ, & ambrosios anhelo ab ore
Flores carpere mi licet beato,
Tunc mi, tunc uideor Iouis tonantis
Assidere epulis, sacrúmque nectar
Haurire intrepidè, Deûm sodalis.
Si summis bona proxima, ô Columba,
Præbes tam facilis beato amanti,
Cur tu summa negas misello, & una
Misellum facis, & facis beatum?
Num forsan metuis Deus fruendo
Ipse ne efficiar, uelímque solus
Te sine Elysios uidere campos?
Hunc, hunc pone metum, uenusta, bella,

Vitæ dimidium meæ Columba:
Nam quæcunque oculos tuos tenebit
Sedes, illa mihi domos Deorum,
Et campos referet beatiores.

DE POETARVM AMORIBVS AD GORDIVM.

Gordi plus oculis amate nobis,
Quicquid Lesbia, Delia, & Corinna,
Quicquid Cynthia, quicquid & Lycoris,
Quicquid Stella, Nina, & recens Neæra,
Laura, & Candida, uel fuit Gelonis,
(Vt nostras quoque nominem puellas)
Cassandra æmula Laureæ puellæ,
Quicquid Pasithea, & uenusta nuper
Mellina, & numeris Oliua nostris
Dicta (si locus inter has Oliuæ)
Hoc Faustina mea, hoc mea est Columba,
Hoc Faustina tua, hoc tua est Columba:
O bid nunc cupiam hîc adesse, Gordi,
Et quicquid cecinit tener Catullus,
Et quicquid cecinit tener Tibullus,
Quicquid Naso canit, Propertiúsque,
Gallus, & Iouianus, Actiusque,
Quicquid ipse Marullus, & Petrarca,
Quicquid Beza canit, canit Macrinus,
(Vt nostros quoque nominem Poëtas)

Ronsar-

Ronſardus grauis, & grauis Thyardus,
Mollis Baiſius, mihíque (ſi quis
Probatos locus inter-eſt poëtas)
Optarim ueteres meos calores,
Gordi, ut ſic melius queam referre,
Fauſtinámq; meam, & meã Columbam,
Fauſtinámq; tuam, & tuam Columbam.

DE AMORIS VIOLENTIA ex Anacreonte.

Frontem cornigeram dedit iuuencis
Natura, alitibus dedit uolatum,
Fecit cornipedes equos, fugaces
Auritos lepŏres, natatiléſque
Piſces, fulmineos ſues, leones
Fecit magnanimos, uiros ſagaces:
Aſt hoc ingenio uidens negatum
Eſſe fœmineo, dedit puellis
Formam igne, atque acie potentiorem.

AD FABVLLAM CVR AMATORIA non ſcribat.

Quòd nullos faciam, Fabulla, uerſus
(Quamuis tot faciam, Fabulla, uerſus)
Qualeis, qui populo ſuos amores
Laſciuis nimiùm explicant libellis,

Miraris, tetricum & uocas poëtam,
Rugosum nimis, & nimis Catonem,
Subinde hoc repetens Catullianum:
Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.
Sed nobis aliter quidem uidetur,
Nec vatem decet esse tam pudicum,
Qui uersus faciat parùm pudicos.
Nam quid turpius est, Fabulla, quaeso,
Si gallum hunc facias, Deo salace,
Cui uersus decet esse prurientes?
Scimus quid sit Amor, Fabulla, scimus:
Estque in uersiculis bonus Cupido
Nostris plurimus, & Venus iocosa,
Blando quae docuit sonare plectro,
Dum nostris licuit bonis fruisci,
Et nostras Domina fouente flammas,
Ignis mollibus arsit in medullis.
Nunc nos laeta fugit iuuenta, nósque
Diuexant animi æstuantis undæ,
Et curæ uigiles, metúsque sæui,
Omnes qui Veneres, Cupidinésque,
Lusus, nequitias, sales, iocósque,
A nostris abigunt, Fabulla, Musis.
Quare quod superest, Fabulla bella,
Si quid te lepidi iuuant libelli,
Quos scripsit manibus suis Cupido,
Dictarunt Charites, canunt poëtæ,

Ediscunt

E discunt iuuenes, tenent puellæ,
Et quos ipsi etiam audiunt libenter
Senes frigiduli, grauésque matres,
Aut tu nostra legas nimis pudica,
Aut tu nos facias minus pudicos.

DE COECO VIAM INDICANTE.

Nox erat, & pactæ properabam ad tecta puellæ,
Iunguntur fano quæ, Lodoïce, tuo.
Quà sit iter quæro (nam me fallebat euntem
Tum fortè in uarias semita secta uias)
Hâc, aliquis dixit, dextra simul indicat: atque is
Cæcus erat: cæcum suspicor esse Deum.

AD MARINAM, CVR EAM FVGIAT.

Cur te sic fugiam, tuúmque limen
Currens præteream, canem ut bibentem
Ex Nilo perhibent, Marina, quæris.
Causas accipies, Marina, paucis.
Es tu pulchra quidem, uenusta, bella,
Perpulchrámque habitas domum, superbam,
Lautam, magnificam, omnibus patentem:
Verùm nos habitare, flante Cauro,
Tam laxè, medico haud satis probatur.

AD NEAERAM.

Debes pro hendecasyllabis, Neæra,
Nobis basiolum: Neæra, solue.

IN GALLONIAM.

A etate Hectoream uincis, Gallonia, matrem:
Atque eadem ſpiras, trux quod Auernus olet.
Caſta doces iuuenes ſæui medicamen Amoris,
Et quo philtra modo ſint fugienda, mones.
Scilicet & ſuccos, & Circes pocula noſti,
Quidque trahat Manes, quæque ſit herba nocens.
Sed quid longa opus eſt artis præcepta referre,
Aut quid opus medicas applicuiſſe manus?
Te uideat, quiſquis timet hunc, Gallonia, morbum:
Non aliis herbis tutior eſſe poteſt.

IN EANDEM.

Grandior & Niobe, & Pyrrha (Gallonia) noſtra eſt,
Et ſe noſſe virum caſta puella negat.
Credo equidem: nam nulla tibi (Gallonia) forma,
Quam quiſquam ſanus poſſet amare, fuit.

IN ANVM PRVRIENTEM ET *puellam fugitiuam.*

Quædam Neſtoream ſuperans ætate parentem,
Quæ iuuenem ex Satyro redderet Hippolytum,
Me ſequitur, noſtriſque ſalax amplexibus hæret,
At riget in noſtro pectore dura ſilex.
Me tenera & prima florens ætate puella,
Quæ poſſet Pylium ſollicitare ſenem,

Heu

Heu fugit, & noſtros crudelis ſpernit amores,
Quóque magis ſpernit, me magis vrit amor.
Quid faciam? duris illinc me cautibus urget
Caucaſus, hinc ſæuis ignibus Aetna coquit.

IDEM.

Frigidius Scythico cùm ſit tibi marmore corpus,
Cur mea cùm tangis pectora, non rigeo?
Mi faculas ſubdit nimiùm formoſa puella,
Atque oculis noſtram diſſolüit glaciem.
At mihi cur parcunt flammæ? tu frigida præſto es,
Nec cinis in cineres corpus abire meum.
Sic mihi reſtituit torpentia frigore membra,
Sic flammas Cypris temperat ipſa meas.

LIB. AMORVM FINIS.

AD STELLAM.

Stella, Palladiæ decus cateruæ,
Stella, delitiæ nouem Sororum,
Quo nec doctior est, probatiórque,
Quo nec candidior, benigniórque,
Nec est officiosior sodalis:
Cùm ferox nimiùm, & maligna Parca,
Crudelis nimiùm, & seuera Parca
Hoc te orbauerit optimo parente,
Vnus qui fuit optimus uirorum,
Vt præter lacrymas, grauésque luctus
Dolenti modò nil tibi relictum
Iam sit: quid potius dolens & ipse,
Quàm luctum, & lacrymas tibi dicarim?

IOACH. BELLAII AND. TVMVLI.

ROMAE VETERIS.

Montibus è ſeptem totum diffuſa per orbem,
Sidera ſublimi uertice Roma tuli.
Sub pedibus terras utroque ab littore preſſi,
Athlantem tenuit dextra, ſiniſtra Scytham.
Iuppiter hos etiam diſiecit fulmine montes,
Et tumulos iuſſit corporis eſſe mei.
Incubuit capiti rupes Tarpeïa noſtro,
Preſſa Quirinali pectora noſtra iacent.
Crura Palatinus, geminos hinc inde lacertos
Collis Auentinus, Viminéuſque tegunt.
Exquiliæ hinc ſurgunt, & ſurgit Cœlius illinc:
Hæc quoque ſunt pedibus facta ſepulchra meis.
Sic quæ uiua ſibi ſeptem circundedit arceis,
Mortua nunc ſeptem contegitur tumulis.

LEONIS STROZZAE.

Haud iaceo anguſta magnus Leo conditus Vrna:
Non bene tam magnum tam breuis urna capit.

Nec me terra capit: terra ſed gloria maior
Iam certum nautis ſidus ad aſtra uehit.
Vtq; meas quondam latè tulit unda carinas,
Sic iuuat immenſi nunc maris eſſe Deum.
Ergo age, qui noſtris ſuccedes lætus habenis,
Iam facilem tutus per mare carpe uiam.

EIVSDEM.

Herculis ad littus fato ſum raptus acerbo,
Herculea noſter laude perennis honos.
Herculis in terris notus labor, æquore noſter,
Ignea uis fatum, præmium utrique polus.

EIVSDEM.

Palladis, & Martis, Neptuni numine fretus,
Conſilio, dextra, puppe timendus eras.
Mente Ithacus pugnax, bello ſpectatus Achilles,
Nauigio Tiphys, hæc (Leo) trina tibi.
Sic ſuus Auſoniæ fato ſublatus Vlyſſes,
Aeacides, Tiphys. mors fuit una tribus.

EIVSDEM.

Non tibi Germanus miles, non miles Iberus
Funeris eſt autor, cauſáque, magne Leo.
Gallica (prò facinus) te te dedit impia letho
Magnanimum fratrem quæ premit, inuidia.
Inuidiam frater forti nunc pectore uincit:
Mortuus hanc ueris laudibus ipſe domas.

IN EVNDEM, ET PYRRHVM Strozzam fratrem.

Vt fratrem Pollux alterna morte redemit,
Sic fratrem uellet ſuperas euadere ad auras
Magnanimus Pyrrhus. ſed nil præſtare neceſſe eſt
Hoc pietatis opus: cùm bello inſignis & armis
Germanum referat geminato ſidere frater.

SYLVIAE MIRANDVLAE.

Coniugis heu manibus paruo iacet abdita ſaxo
(Cætera diſce hoſpes cum gemitu, & lacrymis)
Syluia, cui clarum dederat Mirandula nomen,
Ipſa Venus formam, Gallia coniugium.
Quæ dum pulchra uirum pulchra cupit eſſe parentem
Progenie, infœlix parturit, & periit.

EIVSDEM.

Lugete ô ſyluæ, montéſque, amnéſque, lacúſque,
Et quicquid Dryadum ruſtica turba colit.
Vóſque leues Satyri, ſylueſtria numina, uóſque
Funerea, Fauni, cingite fronde comam.
Spargite humum lacrymis, præſtanti corpore Nymphæ,
Laurentes Nymphæ, ueſter amor periit.
Ante diem periit ueſtri pulcherrima cœtus
Syluia, ſylueſtres ducere docta choros.

Syluia (prò ſuperi) qua non præſtantior ulla
Errabat ſyluis, caſta Diana, tuis.

EIVSDEM.

Ergo tui cineres parua clauduntur in urna,
Nec generis ſplendor, uirtus, aut gratia formæ,
Coniugis aut mœſti lacrymæ, luctúſque ſororum
Crudeles potuere Deas, aut flectere Diuos?
At quicunque tuas laudes æquare canendo
Syluia tentarit, magnum huic præſtare neceſſe eſt
Ingenio Picum, unum quem Saturnia tellus
Phœnicem appellat, fama ſuper æthera notum,
Cuius ut Auſonia immenſi monumenta laboris
Miratúrque, intérque manus ſtudioſa uolutat,
Sic te noſtra feret ſublimi ad ſidera cantu
Gallia, téque ſuam ſemper iactabit alumnam,
Seu formam, morésque uelit narrare pudicos,
Seu mentem excelſam, paruóque in corpore clauſas
Ingentes animi uires, curámque uirilem.

LIVIAE COLVMNAE NOBILIS
matronæ Romanæ.

Sic pereat Romæ, peritura Lucretia dixit,
Quæcunque haud caſto uixerit in thalamo.
Dixit, & aduerſo ſacrum ſub pectore ferrum
Condit, & in mœſti concidit ora uiri.
Dura quidem lex iſta fuit, ſed durior illa,
Nuper quam immerita Liuia morte tulit.

Liuia

Liuia defuncto dudum uiduata marito,
Cùm uiuax nimiùm, cùm foret & locuples.
Tanquam casta parùm, priscique oblita pudoris,
Hæredis generi concidit icta manu.
Hanc igitur legem sanguis sacrabit inultus,
Diues quæ fuerit, mœcha sit ut genero?
O senium infœlix, metuendum & matribus aurum,
Si scelus est, nimiùm uiuere, diuitibus!

IVLII. III. PONT. MAX.

Si poma arboribus nascuntur, uitibus uuæ,
Et sua non mendax fœnora reddit ager:
Si Zephyris tellus fundit uiolásque, rosásque,
Nascuntúrque suis omnia seminibus:
Non poma, aut uuæ clauso hîc de corpore surgent,
Nec feret hæc uiolas, nec dabit urna rosas:
Allia nascentur, nascetur sectile porrum,
Et cepe, & quicquid spirat odore graui.
Delicię Iuli, ueści queis sueuerat olim,
Iuppiter ut dulci ueścitur ambrosia.
Vos igitur, magni fatum quos tangit Iuli,
Serta quibus desunt, balsama, thura, dapes,
Hos eius tumulo diuinos spargite odores,
Vt dignas habeat Iulius exequias.

MARCELLI II. PONT. MAX.

Tu quoque si fati potuisses rumpere iura,
Tu Marcellus eras, ô miserande senex.

At te fata tuis ſolùm oſtendêre, neque ultrà
Pontificis titulo te uoluere frui.
Te, quo nec melior Romanæ contigit Vrbi,
Nec meritis maior, nec probitate prior.
Heu pietas, heu nota fides, deuotáque Chriſto
Pectora, & antiquæ Relligionis amor!
Non illo quiſquam belli componere motus
Aptior, aut uitiis acrior hoſtis erat.
Quanta illi in dubiis conſtans prudentia rebus,
Quantum illi ingenium, conſiliúmque fuit?
Ah nimiùm fœlix, propria hæc ſi dona fuiſſent,
Ah nimiùm fœlix tu quoque, Roma, fores.

EIVSDEM.

Hoc tumulo ſitus eſt Vrbis pater, & pater Orbis,
Romáque cum propriis publica damna gemit.
Marcellum cecinit diuini Muſa Maronis:
Hic quoque Marcellus, ſi licuiſſet, erat.

EIVSDEM.

Romanum imperium Marcello fata dedêre,
Marcellus dignus quòd foret Imperio.
Abſtulit Imperio Marcellum uis quoque fati,
Marcello indignum quòd foret Imperium.

EIVSDEM, ET IVLII. III.

Littera Pythagoræ Petri ſpectatur in æde,
Quà libet hinc igitur carpe, viator, iter.

Marcelli

Marcelli tumulum, tumulum quoque cernis Iuli,
Hoc tegitur virtus, hoc scelus, & uitium.

EORVMDEM.

Vt qui conatur rapidas extinguere flammas,
Sæpe solet mediis ipse perire rogis,
Sic ueteres Iuli cupiens purgare cloacas
Marcellus, diro tactus odore periit.

CVIVSDAM CANIS.

Latratu fures excepi, mutus amantes:
Sic placui domino, sic placui dominæ.

ASCANII SANGVINII CARD.
Caraffæ à poculis.

Si matris te damna tuæ, luctúsque tuorum,
Et tangunt generis funera acerba tui,
Hîc iterum fer, sæue puer, uersamq; pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce facem.
Non tibi iam pater est pulchri deflendus Iuli,
Est tibi deflendus sed puer Ascanius.
Ascanius, cui (pace Iouis) concederet ipse,
Qui superis miscet pocula grata puer.

PETRONILLAE PVELLAE.

Quas potius decuit nostro te inferre sepulchro,
Petronilla, tibi spargimus has lacrymas.

Spargimus has lacrymas mœsti monumenta parentis,
Et tibi pro thalamo sternimus hunc tumulum.
Sperabam genitor tædas præferre iugales,
Et titulo patris iungere nomen aui.
Heu gener est Orcus, quique, ô dulcissima, per te
Se sperabat auum, desinit esse pater.

DELIAE PVELLAE.

Gratia, forma, decus, pietas, candórque, pudórque,
Ingenium, virtus, & probitatis amor,
Quæ bona nulla sinit longis canescere seclis,
Si solita his esset parcere Parca ferox,
Haud sic rapta fores primo sub flore iuuentæ,
Delia, nec tecum hoc tecta forent tumulo
Gratia, forma, decus, pietas, candórque, pudórque,
Ingenium, uirtus, & probitatis amor.

IANI BRYNONIS SENATORIS Parisiensis.

Bryno olim locuples, magno pòst ære grauatus,
Confugit ad Musas, pauperiem fugiens.
Hoc unum solamen erat, requiésque malorum,
Spes una hæc misero, præsidiúmque fuit.
Ergo is, quicquid adhuc uacua restabat in arca,
Contulit in Musas, tunc quoque munificus.
Tandem ubi paupertas hominem sic pressit iniqua,
Nil foret ut Musis quod daret, interiit.

EIVSDEM.

Multis Bryno fui dives stipatus amicis,
Exhaustus Musas solùm habui comites.
Perfida uiuentem liquit me turba clientûm,
Defunctum sequitur nunc quoque Musa comes.

EIVSDEM.

Quattuor in nostram certarunt numina sortem,
Plutus, Amor, Fatum, Pieridúmque Deus.
Plutus opes dederat, formæ decus ipse Cupido,
Parca dedit tumulum, numen Apollo dedit.
Abstulit unus Amor Pluti mihi munera, Amoris
Abstulit hei misero munera Parca ferox.
Me Phœbus Parcæ eripuit, cœlóque locauit:
Eripiet nullus, quod dedit iste mihi.

EIVSDEM, ET TIBVLLI
comparatio.

En iacet hîc alter consumptus morte Tibullus,
Seu formam spectes, seu magis ingenium.
Ingenio facilis, forma spectandus uterque,
Sumptibus immodicis hausit uterque domum.
Musarum, Veneríque artes complexus uterque est,
Ante diem fato raptus uterque fuit.

GRASSINI IVVENIS.

Exosus Venerem, Cupidinémque,
Nec pili faciens sales, iocósque,

L uſus, nequitias puellularum,
G raſsinus iuuenis Quirini in vrbe
S ic menſes aliquot pudicus egit,
P rorſus ut nimio è rigore poſſes
P riuignum facilè hunc putare Phędræ,
S acrum uel Cybeles Deæ miniſtrum.
Q uod cernens V eneris puer, geménſque
M aterna hoc (fácinus) licere in vrbe,
V ltrici iuuenem petit ſagitta,
S ubiecítque facem ſub ima corda,
O mneis quæ penitus uorans medullas,
S ic lento miſerum peruſsit igne,
T otus ut tenuem iret in fauillam.
E rgo ex Hippolyto nouus Priapus,
D um fidens ualidæ nimis iuuentæ
C æcus in V enerem ruit, proteruus
V t taurus ſolet, æſtuantis aſtri
N ec facem metuit, furens miſellum
F ebris corripuit, deditque letho
I ncautum iuuenem, neque id uerentem.
D iſcas hinc V eneris timere numen,
Q uiſquis ingenio Catoniano
E xoſus V enerem, Cupidinémque,
S pernis delitias, ſales, iocóſque,
L uſus, nequitias puellularum.

CVIVSDAM IVVENIS.

Mutarunt

Mutarunt arma inter se Mors, atq; Cupido:
Hic falcem gestat, gestat at illa facem.
Afficit hæc animum, corpus sed conficit ille:
Sic moritur iuuenis, sic moribundus amat.
Vt secat hic iugulos, oculos excæcat & illa:
Illa ut amare docet, sic iubet iste mori.
Disce hinc, humanæ quæ sint ludibria uitæ:
Mors thalamum sternit, sternit Amor tumulum.
Tu quoque disce tuas, Natura, inuertere leges:
Si pereunt iuuenes, depereúntque senes.

DVCIS BVLLONII.

Corporis Hectorei magna mercede redemit
Relliquias genitor, redderet ut tumulo.
Toxica languenti cùm sciret mista marito,
Seq; hostem parua ludere posse mora,
Maiores effudit opes Bresëia coniux,
Bullonium uiuum redderet ut patriæ.
Mortuus ille quidem magna est pietate redemptus,
Maiori est emptus qui moribundus erat.

MIGNANELLI CARD.

At si tempora longiora vitæ
Fatorum Dominæ tibi addidissent,
Mignanelle, sacri decus Senatus,
Te te Roma patrem uocasset, eheu

Cinxiſſetque caput triplex corona,
Hoc (ſi quiſquam alius) decus merenti.
Sed fœlix nimis, ô nimiſque fœlix,
Cui, ne ſcilicet amplius uideres
Luxum, mollitiem, libidinémque,
Faſtum, ſæuitiam, ſuperbiámque,
Bella, & uincula, cæteráſque peſtes,
Queîs noſtrum malè ſeculum laborat,
Tum mori obtigit, iuuidere mortem
Cùm poſſent tibi uel beatiores.

MONLVCII IVNIORIS.

Littora Dardaniæ quondam ut contingere primus
Dum cupis, & primus Proteſilaë cadis:
Sic cupidus pugnæ foſſa Monlucius hoſtem
Dum prohibet primus, primus ab hoſte cadit.
Hoſtia prima cadit Monlucius: Oſtia nempe
Haud alia poterat conditione capi.
Aſt hæc ne decimum, Galli, vos ducat in annum
Oſtia, Monlucî pectora quiſque gerat.

EIVSDEM.

Hoſpes ſiſte gradum rogo hîc parumper,
Quémque prætereas locum uideto.
Hoc hoc ſub tumulo iacet ſepultus
Monlucî illius (hoc ſat eſt viator)

Natus

Natus optimus optimi parentis.
Qui dum ſorte datum locum tuetur,
Pro foſſa uigil excubátque primus,
Cæco vulnere primus eſt peremptus.
Illum mœſta prius cohors Tribunum,
Mox cæſum ingemuere tota caſtra.

FONTEII VIRI FORTISS.

Dum patria uirtute furit Memorantius heros,
Inuidus hunc Mauors uidit, & erubuit.
Ergo Deus iuuenem cæco petit improbus ictu,
Quem texit clypeo Dia Minerua ſuo.
Aſtabat tum fortè comes Fonteius: in illum
Decidit irati uis inimica Dei.
Fœlix, cui tantæ conceſſa eſt copia mortis,
Et licuit domini fata ſubire ſui.

MONTEBELLI IVVENIS *fortiſs.*

Nec te carminibus meis tacebo,
O decus iuuenum ferociorum,
Digne Apolline (Montibelle) noſtro.
Cui cùm uix decimo addidiſſet anno
Annos Parca decem, genáſque prima
Vix lanugine pingeret Iuuenta,
Vitæ ſtamina rupit immerenti.

At non indecoram oppetiſſe mortem,
Te quiſquam arguat: ipſe nanque primus
Dum murum ſuperas, manúque ſignum
Præfers intrepidus ferum per agmen,
Pulchram magnanimus necem ſubiſti,
O brutus lapidum furente nimbo,
Crebris glandibus, igneiſque telis.
Te cæſum ingemuit piúſque frater,
Militúmque manus. duces at ipſi
Certatim ſine fine Montibellum
Summis laudibus efferunt ad aſtra.

IN GALLICAM IVVENTVTEM
quæ pro Paulo. iiij. Pont. max. bello
Parthenopæo occubuit.

Quonam uos iubeam ſacra hac tabella:
Ad cælum merito uolare uerſu,
O Martis ſoboles, Deúmq; cura;
Pubis robora lecta Gallicanæ?
Vos dico iuuenes ferociores,
Qui dulci patria procul relicta,
Natis, coniugibus, focis, & aris,
Aut ſi charius his pote eſt quid eſſe,
Per tot heu pelagi æſtuantis undas,
Per tot culmina montium niuoſa,
Flaui littora Tybridis petentes,
Pulchram magnanimi necem hîc ſubiſtis.

At cur littora Tybridis petentes
Pulchram magnanimi necem hîc subistis?
Non uos Theſſalicæ decus rapinæ,
Aut annis Helene decem petita
Attraxit, iuuenes: boni ſed huc uos
Amor pontificis, piúmque bellum.
E dulci patriæ ſinu reuulſit
Regis imperium pij ſequutos,
Regis nomine, réque Chriſtiani.
Quare à Principibus bonis putate
Non ueſtri modò uos tuliſſe facti
Si qua præmia uera ſunt laborum,
Sed deſiderium, pióſque planctus,
Quales ad tumulum ſolent parentes
Natis ſoluere luctuoſiores,
Ob id (quandoquidem nihil quod ipſe
Vobis dem melius, mihi relictum eſt)
Mœſtis pro lacrymis, ſacra hac tabella
Iam iam uos iubeo uirûm per ora
Ad cælum merito uolare uerſu.

IN EOS QVI BELLO QVINTINIANO *occubuerunt* Lacrymæ.

Per ſaxa, & ſcopulos, uentoſa per æquora uecti,
Dum pulchræ campos linquimus Heſperiæ,
O lecti iuuenes! ô Gallæ robora pubis!
Ad ueſtras mœſti uenimus inferias.

Quintini uos terra tegit, crudele ſepulchrum:
O dolor! ô patriæ funera dira meæ!
Ergo tot inuictas animas, tot fortia corda,
Tot ualidos iuuenes hauſerit una dies?
Qualeis Troia uiros genuit, qualcis tulit Argo,
Vos modò, uos tellus Gallica protulerat.
Vos patriæ uires nuper, uos lumina clara:
Nunc tumuli, & cineres, nunc lacrymæ & gemitus.
Hectora magnanimum fera prælia deteſtantes
Sic flebant paſſis crinibus Iliades.
Hectora flet genitor, charum gemit Hectora mater,
Hectora Dardanidum mœnia congeminant.
Aſtabat laniata genas, turbata capillos
Andromache coniux, & puer Aſtyanax.
O Phrygij columen regni, quo ſoſpite Troia
Tuta fuit, ſæuos nec timuit Danaos!
Quis mihi te eripuit, coniux dulciſſime? Quis te,
Quis miſeram tecum perdidit Andromachen?
Tu ſpes Dardanidis quondam, tu terror Achiuis,
Per te annos durat nunc quoque Troia decem.
Heu qualem aſpicio! quàm fœdos puluere crines!
Quàm laceros artus! quàm tumidóſque pedes!
At non talis eras, cùm te manus Argiuorum
Armatum ſæuis aſpiceret iaculis.
Cùm pedibus premeres ingentes hoſtium aceruos,
Cùm flammam Argolicis puppibus iniiceres.
Quis nunc attonitæ defendet mœnia Troiæ?
Quo ſtabit miſeri tuta domus Priami?

Tu pulchra heu moriens uertisti Pergama: tecum,
Tecum unà hoc tumulo Troia sepulta iacet.
Sic mœsta Andromache: circum flet cætera turbà:
Gallia sic forsan pignora chara gemit.
Viuetis tamen, ô iuuenes, nec nomina uestra
Vlla dies nostris obteret ex animis.
Sed pro coniugibus, natísque, arísque, focísque,
Pro patria, aut si quid charius est patria,
Vos quondam intrepidè pugnantes occubuisse,
Omnibus in chartis fama loquetur anus.
Necnon & memores uestri, pia turba, quotannis
Ad tumulum matres munera persoluënt.
Exemplum ut natis, seríque nepotibus hoc sit,
Atque alij hoc faciant, atque alij, atque alij.
Interea Elysios campos, sedésque beatas
Incolite, & solis littora nota piis.
Vos procerum expectant turbæ, & quæ pectore læto
Pro patria fortes occubuêre animæ.
Nos cineres uestros ulcisci, nos decet armis,
Hostibus inuisis, hoc decus eripere.
Hoc faciet Rex magnanimus, uestrísque sepulchris
Vltor Achillæas inferet inferias.
Quódque tulit damnum, grauius multò ipse rependet:
Explicat ut uires machina adacta suas.
Sic primùm longo ipse leo se uerbere caudæ
Excitat: at si illum dentibus appetiit
Aut canis, aut vrsus, collectam surgit in iram:
Atque illi ingentes igne micant oculi.

Ni pius Aeacides cæsum uidisset amicum,
A Danais Hector, tutáque Troia foret.
Ipse Menœtiades euertit Pergama solus,
Solus & ipse armis reddidit Aeacidem.

NOBILISS. ET FORTISS. VIRIS PRAEFECT. TRIBVN. CENTVRION. SIGNIFER. VETERAN. TYRONIB. OMNIBVSQ. VTRIVSQ. MILIT. ORDINIB. QVI BELLO QVINTINIANO VRBE PRIVS COMEAT. ET PRAESID. FIRMAT. CVM INGENT. HOST. COPIIS INIQVO MARTE CONGRESSI DVC. MOMMORANTIO PRO PATR. FORTIT. PVGNAND. OCCVB. IOACH. BELLAIVS AD SEMPITER. POSTERITAT. MEMOR. PATR. VIRTVT. ET AMICIT. ERGO MVLT. CVM LACRYM. P.

TVMVLVS NEAERAE.

Formoſam poteras forma ſuperare Dionem,
Dictynnam ſacræ laude pudicitiæ.
Auguſto germana Iouis tibi frontis honore,
Ingenio ceſſit docta Minerua tuo.
Syrenes cantu, neruis, & carmine Muſas,
Vincebas Charites dotibus innumeris.
Pingere ſi quid acu libuit, tibi ceſſit Arachne;
Lanificas Nymphæ continuere manus.
Omnia uiciſti, uicit te Parca, Negra:
Dij faciant noſtris uerſibus hanc ſuperes.

IN CINERES MARITI *vxoris lacrymæ.*

Quas patris, & nati, charique in funere fratris
Et nata, & mater perſolüiq; ſoror:
Has tibi nunc lacrymas, coniux dulciſſime, ſoluo,
Qui pater, & natus, qui mihi frater eras.

NÆNIA.

MARITVS, ET VXORIS VMBRA.

MARITVS.

Pro uiolis lacrymas, gemitus pro marmore pono:
Sint precor hæc cineri munera grata tuo.

VXOR.

Tu potius uiolas plenis effunde caniſtris,
Albáque purpureis lilia miſta roſis.

MARITVS.

Quis tam ferreus est, amissa ut coniuge tali,
Coniugis ad tumulum temperet à lacrymis?

VX.

Nil lacrymæ prosunt, lacrymis haud fata mouentur,
Nec remeat quisquis trans styga fecit iter.

MAR.

O mihi si pensare meis tua fata liceret,
Quàm foret hei misero nunc mihi dulce mori!

VX.

At hoc cùm frustra lacrymis, precibúsque reposcas,
Quæ mutare nequis, illa ferenda puta.

MAR.

Saltem si liceat manes excire sepulchro,
Et semel his oculis ora uidere tua!

VX.

Impia quandoquidem hæc pietas, ársque ista nefanda est,
Parce precor manes sollicitare meos.

MAR.

Ergo mihi posthac te, te (mea vita) carendum est,
Et potero infœlix te sine luce frui?

VX.

Non tota interij, nata est pars maxima nostri,
Quique tuos mores, natus, & ora refert.

MAR.

Heus ubi castus amor, probitas, caudórque, pudorque,
Et pietas priscis æmula temporibus!

VXOR.

VXOR.

V t noſter ſuper aſtra uolet nunc ſpiritus , utque
Fama obeat terras , iſta dedêre mihi.

MAR.

A t tibi Parca ferox primo ſub flore iuuentæ
Iniecit duras, heu uiolenta, manus.

VX.

I ntereunt flores , ætas lux una roſarum:
Purpurei veris eſt quoque fluxus honos.

MAR.

H ei mihi quis noſtro depellet pectore curas?
Quis feret in tacito gaudia noſtra ſinu?

VX.

S uccedet uiduo coniux fidiſſima lecto,
Solamen noſtræ quæ tibi mortis erit.

MAR.

N ulla tuo, coniux ſuccedet nupta cubili,
Nulla etenim ſimilis nupta futura tibi eſt.

VX.

E rgo ſub Elyſiis iungemur uallibus olim,
Atque idem cineres, & teget oſſa lapis.

MAR.

I nterea inuitus uiuam tibi nempe ſuperſtes,
Quæ fueras noſtros uiuere digna dies.

VX.

V t ſupereſſe queas lætos longæuus in annos,
Viue tuos, coniux optime, uiue meos.

MARITVS.

V iuam. ſed ſine te, uita ô mihi charior ipſa,
Sic uiuam, poſſim mœſtus ut eſſe diu.

VX.

D eſine iam tandem triſtes renouare querelas,
Turbantur lacrymis gaudia noſtra tuis.

MAR.

V t tibi do lacrymas, oculos ſic ipſe dediſſem,
Ni mihi perpetuò collacrymanda fores.

IN CINERES MARITI
vxoris lacrymæ.

M armore de Pario, fuſo nec mollius ære,
Nec cineri ſtatuam picta ſepulchra tuo.
N ec cineres ipſos nimio ſtimulata furore
Mortali condam corporis in tumulo,
C ùm tua, mi coniux, ſemper uiuentis & ora,
Et greſſum, & uocem pectora noſtra ferant:
P ectora, quæ quondam fido ſpectata marito
Tam benè pectoribus iuncta fuere tuis,
V t ſi uerus amor mentes poſt fata ſequatur,
Iam tumulo nolis ſplendidiore tegi.
I lla igitur ueterem captet de marmore laudem,
Extincto imponens uaſta ſepulchra uiro,
H auriat aut cineres, longo quæ feſſa dolore
Solamen luctus quærit habere ſui.
I pſa ego candenti lacrymas pro marmore ponam,
Perpetuò manes ſic gemitura tuos.

Donec

Donec longa dies noſtrum miſerata dolorem,
Nos iterum optato iungat in Elyſio.
Myrtea tunc animas vallis ſpectabit euntes,
Atque eadem cineres conteget urna duos.

ALIVD.

Spargimus hoc ſaxum lacrymis: utinámque, marite,
In ſaxum è lacrymis uerſa forem Niobe.

ALIVD.

Hos flores, atque has uiolas, chariſsime coniux,
Spargimus in cineres ultima dona tuos.
Addimus & lacrymas, deſit ne floribus humor:
Atque utinam in florem uerſa forem è lacrymis.

DE DVOBVS AMICIS IISDEM
vulneribus confoſsis.

Qui ſic vnanimes fuere quondam,
Coniuncti ſtudiis, amore, ludo,
Pares ingenio, paréſque forma,
Iiſdem ſub laribus, domo ſub una,
Vt poſſes animas duas ſub uno
Clauſas corpore, uel duobus unam
Mentem corporibus putare clauſam:
Iiſdem vulneribus ſimul perempti,
Alter dum intrepidè alterum tuetur,
Vitam quiſque ſuam putans amici,
Sic miſto cinere, oſsibúſque iunctis,
Vno ſub tumulo iacent ſepulti,
Vt unum facilè queas putare.

MARITI, ET VXORIS.

Quos uno in thalamo tædis fœlicibus olim
Concordi uinctos pectore iunxit Hymen,
Hos uno in tumulo iungi post funera Parca,
Hos cælo unanimes uiuere iussit Amor.

IN FILIVM MATRIS *lacrymæ.*

Non solus tu chare iaces hoc nate sepulchro,
Nec solùm cineres hæc capit vrna tuos.
Hic animus tecum est: quæ te gemit anxia mater
Heu tumulis adstat flebilis umbra tuis.

OENOPHILI.

Consulit Oenophilus vatem, & sua fata requirit.
Est ab aquis (dixit) mors metuenda tibi.
Ergo amnes, & stagna fugit, fontésque, lacúsque,
Terretúrque ipsis imbribus Oenophilus.
Sed purum intrepidus noctésque diésque falernum
Dum bibit, & lymphas dira uenena putat,
Heu vates nimium ueros! hydropicus humor,
Non rapidus torrens, abstulit Oenophilum.

PAMPHAGI MEDICI.

Hoc Tumulo tumulus tegitur: miraris? at ipse
Plus etiam audito nomine credideris.

Pamphagus

Pamphagus hîc iaceo, uaſta cui mole grauato
Pro tumulo venter ſeſquipedalis erat.
Somnus, & Ingluuies, Bacchúſque, Venúſque, Iocúſque,
Numina, dum uixi, ſola fuere mihi.
Cætera quis neſcit? fuit ars mihi cura medendi,
Maxima ridendi ſed mihi cura fuit.
Tu quoque non lacrymas, ſed riſum hîc ſolue viator,
Si gratus noſtris Manibus eſſe cupis.

EIVSDEM.

Si quid erat, uiuum de quo dubitaſſe queraris,
Parce hoſpes, nunc id mortuus experior.

PHYLLIDIS MOECHAE.

Mœcha fui Phyllis, nil ultrà dicere poſſum,
Hoc tantùm poſſum dicere, Mœcha fui.

PARENTVM ET NATORVM.

Mortis diſce nouum genus uiator,
Horrendum aut potius, ſtupendum, & ingens
Portentum. hoc tumulo iacent ſepulti
Gemelli, & ſoror, & parens uterque:
Fame illi rabida, ij dolore ſæuo
Abſumpti. hîc igitur uiator aſta:
Rem totam breuiter tibi explicabo.
Pater cùm ualidam famem timeret,
Quæ totam propè Neuſtriam premebat,

Nulláque ars miſero foret, modúſue,
Nec res ulla domi, domum relinquens
Pauper Armoricas petiuit vrbeis,
Victum quæreret ut ſibi, ſuiſque.
Ergo pignora chara, ſe, domúmque,
Aut ſi charius iis quid eſt, viator,
Vxori miſeræ miſer maritus
Commendat lacrymans. rogat, iubétque
Hanc bono eſſe animo. breui affuturum
Sè eſe illi recipit. reuulſus ægrè
Diſcedit. reditus, famiſque coniux
Sed longæ impatiens, gemens & ipſa,
Virum ut repperiat, domum relinquit.
Natæ (hæc maior erat) miſella mater
Commendat geminos, iubet, precatur,
Promittitque eadem, pius maritus
Quæ antè dixerat. obſequens puella
Sedulò hoc ſatagit. ſuum ſed ipſa
Dum fraudat Genium, ſuis ut eſſet
Fratribus ſatis, heu pium ſororis
Exemplum! nimio grauatus imbre,
Solis uel nimia face uſtulatus
Flos ut languidulus cadit, miſella
Sic tandem iacuit. fames ſed illos
Egit in miſeros iacentis artus.
Reuerſi interèà domum parentes,
Heu ſpectacula dira! ſemipaſtum
Corpus reperiunt, feróſque iuxta

Hiantes

Hiantes pueros uident. quid ultra?
Horror cætera non ſinit. miſellis
In os iniiciunt cibos: at illi
Guſtato minimùm cibo, parentum
Ante ora exanimes cadunt. parentes
Mœror occupat: in ſuóſque natos
Et ipſi exanimes cadunt. teguntur
Vno omnes tumulo. I viator, i nunc
Orbatæ Niobes feros dolores,
Aut diram memora famem Sagunti.

BRISSACAE NOBILISS. Matronæ.

Lugete ô Charites, bonæque Muſæ,
Lugete ô probitáſque, caſtitáſque,
Et quantum ueteris fuit pudoris.
Briſſaca hoc tumulo iacet ſepulta:
Quæ dum florida ver peregit ætas,
Tam formoſa fuit, fuiſſe fertur,
Quàm uel ipſa Venus, proba & pudica,
Quàm quæ ex uertice prodiit paterno,
Quàm Phœbi ſoror, aut ſoror Tonantis.
Pòſt ætate grauis, ualente ſed ſic
Corpore, atque animo, ut ualent puellæ
Cultu, pectore, moribúſque ſanctis,
Qualis Veſta fuit, Deûmque mater,
Sic tamen facilis, benigna, blanda

Conuictu, intuitu, alloquutione,
Omni ut deposita seueritate,
Quam tristis nimium aduehit senectus,
Nil, præter senium, senile haberet.
Si quæris sobolem, genúsque clarum,
Orta Boysiadum è domo uetusta
Brissacum genuit. sat hoc uiator,
Norunt cætera Thuscus, atque Iberus,
Germanúsque ferox, ferox Britannus,
Et quicunque alio sub axe Phœbum
Nascentem uidet, aut uidet cadentem.
Illam regia Margaris solebat
Vt matrem colere, & uocare matrem,
Vt matrem quoque nunc gemens ademptam.
Hunc ergo tumulum, optimæ ut parenti,
Atque hoc μνημόσυνον sui doloris,
Quando nil aliud licet, nihílque est
Quod solui melius queat sepultæ,
Princeps optima, nobilísque virgo
Brissacæ lachrymans suæ sacrauit.

EIVSDEM.

Magna parens, matrona potens, decus addita cælo
Brissaca hoc tegitur contumulata sŏlo.
Fœlix, Brissaci cui contigit esse parentem,
Cuius & interitum Margaris ipsa gemit!

BONYVETI VIRI FORTISS.

Si cuius tumulum hîc uides, viator,

Hunc

H unc dicam Aeacidæ parem fuiſſe,
S eu ſpectes faciem, decúſque formæ,
S eu dextram indomitam, igneáſque plantas:
Q uæ magno ſolita eſt haberi Homero,
F idem uerſibus hanc meis habebis.
A t ſi magnanimi eſſe Bonnyueti
H unc dicam tumulum: mihi, viator,
H oc hoc ipſe mihi, ampliúſque credes.

EIVSDEM.

G allia, Taurinum, *Cælum,* Mars, Pallas, *&* Orbis,
Singula pro tumulo ſunt, Bonyuete, *tibi.*
G allia te genuit, Taurino *charus, &* Aſtris,
Militibus Gallis *tu quoque charus eras.*
A ffuit ingenium, terris tua fama uagata eſt,
Nunc aliquid repetunt hæc quoque cuncta tui.
G allia corpus habet, Taurini *cor tumulatum eſt,*
Cælo animus, Marti *ceſſit at ipſe dolor.*
V irtutem Pallas *ſacrata in ſede locauit,*
At famam, & titulos maximus Orbis *habet.*

PYRRHI STROZZAE.

Q uanta fuit Pyrrho *caſtrorum cura,* Philippi
Quanta fuit nato martia uis animi,
Q uanta fuit Pæno *patientia, quantáque uirtus*
Scipiadæ, aut rigido quanta fuit Mario,
Q uanta fuiſſe tibi fertur uigilantia, Cæſar,
Q uanta fuit cunctis gloria militiæ,

Tanta fuit Strozzæ dubiÿ experientia Martis,
At tanto non tam sors fuit æqua Duci.

EIVSDEM.

Per uarios casus, per multos Strozza labores,
Mille per insidias, vulnera, tela, neces,
Aërium sibi fecit iter, cœlóque receptus,
Lucida sub pedibus conspicit astra suis.
Sic magni Alcidæ sortem perpessus iniquam,
Ipse quoq; Alcidæ præmia Strozza refert:
Et quam non potuit uiuus, nũc lumine cassus
Fortunam uincit, uincit & inuidiam.

GVILLIELMI BELLAII
Langei.

Hîc situs est Langeus. ultrà nil quære viator:
Nil maius dici, nil potuit breuius.

MELLINI SANGELASII.

Pierides, Paphiæque simul lugete puellæ,
Et si quod priscis numen Amoris erat.
Tú q; adeò, tu Phœbe parens, tu dîa Minerua,
Et cum blandiloquo Suada diserta Deo,
Tu Diua ante omnes, cœlo quę nomina ducis,
Aurea quòd cælisydera cuncta notes,
Lugete uno omnes positas in corpore dotes.
Vnius interitu nunc periisse graui.

Heu

Heu periit noſtri Mellinus gloria ſecli,
Ipſe etiam humani deliciæ generis.
Auribus ille fuit Regum gratiſſimus unus,
Melliſluus vates unus & ille fuit.
Cúmque ex munifica ſtudioſi principis aula
Ipſe ſibi ingentes quærere poſſet opes,
(Quod propriũ vatũ eſt) paruo contentus, in omneis
Vel minimos vates officioſus erat.
Teſtantur multi, hoc commendatore, poëtæ
Diuitiis aucti, muneribúſque nouis.
Cætera quis neſcit? nec Pindo Delius ipſe,
Nec magis eſt ſyluis Delia nota ſuis,
Quàm Gallis Mellinus erat, cui melle fluebat
Mellita ex lingua dulcius eloquium.
Illius ut cecinit mellitos Regia verſus,
Illius interitum ſic quoque & ipſa gemat.

SVI IPSIVS.

Clara progenie, & domo uetuſta
(Quod nomen tibi ſat meum indicarit)
Natus, contegor hac (viator) urna.
Sum Bellaius, & poëta. iam me
Sat noſti puto. num bonus poëta,
Hoc uerſus tibi ſat mei indicarint.
Hoc ſolùm tibi ſed queam (viator)
De me dicere: me pium fuiſſe,
Nec læſiſſe pios: pius ſi & ipſe es,
Manes lædere tu meos caueto.

IDEM GRAECE FIDELI-ter expreſſum.

Ἀμφότερον, γλυκὺπικρὸν, μεγάροις ἐν παλαιῶν
Λαμπόμενον γενίοις, σῆμα τέκνων κατέχει.
Οὔνομα πάντας ἐμὲν δὲ κατ' ἀνθρώπους ἐνομαστὴν
Τῆς γλυκερῆς δείξει σοι κλέος ἡμιτόμης.
Οὔνομα Βελλαίος μελέπων, καὶ ἀοιδὸς ἀκόλλω.
Νῦν ἐμὲ γινώσκειν ξεῖνε τις δὴ δύναται.
Ἀλλά γ' ἐμῶν ἑτάων (καλὸς εἰ πρὸς ἀοιδὸς ἐπίχθων)
Λείψανα πιστώσει σοι τόδε νηρικέως.
Μῦθον ἐγὼ σοι τοῦτο λέγειν φίλε ξεῖνε δικαίμην
Ἀμφ' ἐμέθεν. γλυκὸ μὲν πιστὸς οὐ ἐυσεβίῃ,
Οὐδὲν ἐκὼν ἀσεβὴς βροτὸν ἤκαχον, ἰῶ σὺ δίκαιος
Ξεῖνε πόλεις, ψυχὴν μὴ κακὰ εἶξον ἐμήν.

K. Οὐνιτώβιος.

IN BELLAICAE MVSAE ET Latinæ & Gallicæ carmina, Carolus Vtenhouius Iunior. G.

Multa quidem lætæ, frontis quoque multa ſeueræ,
Sunt tua diuerſis edita ſcripta locis.
Non tamen urbanis ea ſunt contraria dictis,
Omnia ſunt lepidis miſta ſeuera iocis,
Nil ea fellis habent, nocui nihil illa ueneni,
Abſtinet à ſalibus, candida Muſa, nigris.
Vtile iucundo doctus miſcêre, Poëtas,
Omne ferens punctum, maximus inter eris.
Nam modò quod radat, modò quod demulceat aures,
Materia ſcripto conueniente canis.
Eſte procul tetrici, teneri procul eſte Poëtæ,
Quique canis Paphiæ furta nefanda Deæ.
Nil niſi Bellaïus bella canit arte politum,
Nil niſi conceſſos, legitimóſque iocos.
Illius in flammis, nullus uel amoribus ardor,
Illius ignitus nullus in igne calor.
Ecquid ab his rigidi teneros prohibetis alumnos?
Hîc nihil eſt pueros, quod uetet eſſe probos.
Hos licet, hos matrona poteſt, ſine crimine, verſus,
Hos pueris fas eſt euolüiſſe iocos.
Virgo uerecundi, puer, & matrona, pudoris,
Hîc nihil obſcæni, quod doceantur, habent.
Vis igitur pueros ſceleratis artibus vti?
Vis animum uitiis inficiántque ſuum?

Q

Non ego. nulla bonos ego corrumpentia mores
Carmina discipulis proposuisse uelim.
Forsan & extaret si vates, vate magistro
Quo puer ad uitium doctior esse queat,
Hunc tetigisse vetem, doleam uidisse poëtam,
Edidicisse scelus grande, nefásque putem.
Carmina Bellaij (nihil esse disertius illis)
Perlege, nil illis cultius esse feres.
Perlege Bellaij non noxia carmina vatis,
Vtilitate sua pagina nulla uacat.
Námque leues Elegos, numeros seu surgit in altos,
Concinit imparibus iunctáue uerba modis.
Dulcia seu lepidis Epigrammata mista Phaleucis,
Gemmea seu ingenij, Margari, dona tui.
Innumeris pacem potiorem siue triumphis,
Seu canit heröa bella cruenta tuba.
Hunc modò Nasonem, modò dixeris esse Maronem,
Illius inuentum iámque, Catulle, tuum.
Sic sua Bellaius numeris polit omnia bellis:
Nullus in illius carmine næuus inest.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΕΙΣ ΙΟΑΧΕΙΜΟΝ ΤΟΝ Βελλάϊον Ἀνδεῖνον, ἐπίχαρμα.

Μαιονίδης ζηλωτὸς ἀν' Ἑλλάδα, πεζὸτον ἀοιδῶν
Ἄνδος, ἐπωνυμίῳ Ἑλλάδος Ἑλλὰς ἔλω.
Βιργίλιος Ῥ' ώμης, Ῥ' ώμην ἀνὰ, πρίνποτε Ῥ' ώμη
Ἔπλετο, ῥωμαϊκῇ πεζὸτος ἐν ἐυεπίῃ.
Βελλάϊος Γάλλων μὰν ἀοιδότατος ὄξιν ἀοιδῶν,
Γαλλιάδες γλώσσης Γαλλιὰς αὐτοτάτη.
Ἀνδίδος ἐκ νύμφης τὸν ἐγείνατο Μίγκιος, ἀνδρὶ
Τῷδε κὴ Ἀνδεῖνον κωδιάνειρα πατρίς.

ERRATA SIC EMENDATO:

Folio 5. pagina prima, uerſ. 18. Amphitry. Fo. 6. pa. 2. uerſ. 9. Aſſyrio. F. 8. p. 2. v. 15. Galatea. 9. 2. 26. Morellum. & ibid. Ebrod. 12. 1. 22. circùm. Fo. 19. pa. 1. uerſ. 19. Carpathiúſque. F. 24. 2. 16. Morellum. 28. 1. 20. Cometes. 45. 10. 7. Atlanten. 48. 1. 7. perit. 54. 1. 6. Sirenes. 57. 2. ult. repperiunt. ibid. iuxtà. 58. 2. 20. lacrymans. 59. 2. 12. Guliel. F. 15. p. 2. poſt primum uerſum intercalarem hoſce verſus adiicito:

Ipſa Pales docuit pratis inducere riuos,
Ipſa Ceres cultis mandauit ſemina ſulcis,
Et Pater ipſe ſuis ſociauit uitibus ulmos.
Vota Pali & Cereri iam ſoluite, & ſoluite Baccho.